



Unfaintly inscribed in the center of the cover:

R  
681

*Lib. 2. caj. 3.*









PSALTERIVM

DAVIDIS,

Cum CANTICIS sacris  
& selectis aliquot

ORATIONIBVS:

LIBROS  
DEL DR.  
L. MARCO

*Serenissimorum Belgica Principum  
mandato excusum.*



ANTVERPIÆ, *R. n. 5051*

EX OFFICINA PLANTINIANA  
BALTHASARIS MORETI.

M. DC. LVII.

*Fa. Juan. Torales*



# PSALTERIUM DAVIDIS,

Cum PRECATIONIBVS ex visceribus PSALMORVM depromptis, & cuilibet secundum ordinem adaptatis.

## PSALMVS PRIMVS.

*Quo petitur gratia, & studium meditandi assidue in lege Domini.*



**B**EATVS vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit,\* & in cathedra pestilentiae non sedit:

Sed in lege Domini voluntas eius,\* & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plan-

A 2

plan-

LIBROS  
DEL DR.  
L. MARCO

plantatum est secus decursus aquarum, \* quod fructum suum dabit in tempore suo.

Et folium eius non defluet: \* & omnia quaecumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impij, non sic: \* sed tamquam pulvis, quem proicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impij in iudicio: \* neque peccatores in concilio iustorum.

Quoniam nouit Dominus viam iustorum: \* & iter impiorum peribit.

Gloria Patri, & Filio, \* & Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, & nunc & semper, \* & in sæcula sæculorum, Amen.

ORA-



**E**fficiamur, Dómine, tamquam fructuosíssimum lignum in conspéctu tuo : vt irrigáti diuína tua grátia , beatitúdinem viri iusti consequámur ; & per obseruántiam mandatórum tuórum ambulátes, tandem resúrgerere valeámus in congregatióne iustórum. Per CHRISTVM Dóminum nostrum.

## PSALMVS II.

*Quo petitur gratia CHRISTO Regi  
seruiendi cum timore & tremore.*

**Q**Vare fremuérunt gentes,\* & pópuli meditáti sunt inánia?

**A**stitérunt reges terræ, & príncipes conuenérunt in vnum \* aduérsum Dóminum, & aduérsum Christum eius.

**D**irumpámus víncula eórum:\*

A 3 &

& proijciâmus à nobis iugum ipsôrum.

**Q**ui hábitat in cælis, irridêbit eos: \* & Dóminus subfannâbit eos:

**T**unc loquêtur ad eos in ira sua, \* & in furôre suo conturbâbit eos.

**E**go autem constitûtus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius, \* prædicans præcéptum eius.

**D**óminus dixit ad me: \* Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

**P**óstula à me, & dabo tibi Gen-tes hereditâtem tuam, \* & possessiô-nem tuam términos terræ.

**R**eges eos in virga férrea, \* & tamquam vas figuli cõfrínges eos.

**E**t nunc reges intelligite: \* eru-dímini qui iudicâtis terram.

**S**eruîte Dómino in timôre: \* & exultâte ei cum tremôre.

**A**pprehéndite disciplinam, ne  
quando



DAVIDIS.

7

quando irascatur Dóminus, \* & pèrèatis de via iusta.

Cùm exárserit in breui ira eius, \* beáti omnes qui confidunt in eo.

ORATIO.

**D**EVS noster, Verbum Patris, ab ætérno ante lucíferum gé-  
nitus: DEVS de DEO, qui consti-  
tútus es rex super omnem creatû-  
ram: noli nos confringere in ira  
tua, tamquam vas figuli reprobâ-  
tum: neque exárdeat in die iudícij  
ira tua super nos peccatóres. Sed  
præsta, clementíssime, vt appre-  
hendéntes doctrînam tuam Euan-  
gélícam, valeâmus tibi cum timô-  
re & reueréntia famulári, perseue-  
rántes in via veritátis & iustítiæ.  
Amen.

A 4

PSAL-

PSALTERIUM  
PSALMVS III.

*Quo psallens petit à demonum vel  
hominum infestatione liberari.*

**D**omine, quid multiplicati  
sunt qui trébulant me? \* mul-  
ti insúrgunt aduérsum me.

**M**ulti dicunt ánimę meę: \* Non  
est salus ipsi in DEO eius.

**T**u autem Dómine fuscéptor  
meus es, \* glória mea, & exáltans  
caput meum.

**V**oce mea ad Dóminum cla-  
máui: \* & exaudíuit me de monte  
sancto suo.

**E**go dormíui, & soporátus  
sum: \* & exurréxi, quia Dóminus  
fuscêpit me.

**N**on timêbo míllia pópuli cir-  
cumdántis me: \* exúrge Dómine,  
saluum me fac DEVS meus.

**Q**uóniam tu percussísti omnes  
aduer-



DAVIDIS.

9

aduersantes mihi sine causa: \* dentes peccatorum contriuiſti.

Dómini eſt ſalus: \* & ſuper pópulum tuum benedíctio tua.

ORATIO.

**D**omine IESV CHRISTE, qui in expiatióem originâlis culpæ, atque in prætium & redemptiôem ac reconciliatiôem noſtrorum delictorum, vltróneam mortem in cruce obiuíſti, atque in ventre terræ in ſepúlchro ſoporâ-tus, tértia demum die reſurrexíſti: ſalua pópulum tuum Chriſtiânium pretioſo Sanguine tuo redemptum, & effúnde benedictiôem tuam, ne aduerſantium millibus vitiôrum circumdéntur.

A 5

PSAL-

*Quo petitur spes in DEVM, qua ab eius  
providentia omnia bona sperentur.*

**C**VM inuocârem, exaudîuit  
me DEVS iustitiæ meæ: \* in  
tribulatiône dilatâsti mihi.

**M**iserêre mei, \* & exâudi ora-  
tiônem meam.

**F**ilij hóminum úsquequò graui  
corde? \* vt quid dilígitis vanitâtem,  
& quæritis mendácium?

**E**t scitôte quóniam mirificâuit  
Dóminus sanctum suum: \* Dómi-  
nus exâudiet me, cùm clamáuero  
ad eum.

**I**rascimini, & nolíte peccâre: \*  
quæ dicitis in córdibus vestris, in  
cubilibus vestris compungimini.

**S**acrificâte sacrificium iustitiæ,  
& sperâte in Dómino. \* Multi di-  
cunt: Quis osténdit nobis bona?

**S**ignâ-



**S**ignatum est super nos lumen vultus tui Dómine: \* dedísti lætítiam in corde meò.

**A** fructu fruménti, vini, & ólei sui \* multiplicáti sunt.

**I**n pace in idípsum \* dórmiam, & requiéscam;

**Q**uóniam tu Dómine singuláriter in spe \* constituísti me.

## O R A T I O.

**D**EVs, qui iustítiae es dator, gratiárum auctor, ac bonórum remunerátor, exáudi nos in tribulatióibus nostris, & miserêre nobis. Te solum summũ bonum suspirêmus, qui signásti super nos lumen vultus tui; atque amêmus non turbam nascéntium rerum atque intermoriéntium, sed æternitátis ac vnitátis glóriam in IESV CHRISTO Dómino nostro. Amen.

PSAL-

*Vt DEVS sit scutum contra  
hostium iniurias.*

**V**erba mea áuribus pécipe  
Dñe, \*intéllige clamóre meū.

**I**nténde voci oratiónis meæ, \*  
rex meus, & DEVS meus.

**Q**uóniam ad te orábo: \*Dómi-  
ne, manè exáudies vocem meam.

**M**anè astâbo tibi, & vidêbo: \*  
quóniam non DEVS volens iniqui-  
tâtem tu es.

**N**eque habitâbit iuxta te ma-  
lignus: \* neque permanébunt in-  
iústi ante óculos tuos.

**O**dísti omnes, qui operántur  
iniquitâtem: \* perdes omnes, qui  
loquúntur mendácium.

**V**irum sánguinem & dolôsum  
abominábitur Dñs: \* ego autem in  
multitúdine misericórdiæ tuæ.

**I**ntroí-



**I**ntroibo in domum tuam: \*  
adorabo ad templum sanctum  
tuum in timore tuo.

**D**omine deduc me in iustitia  
tua: \* propter inimicos meos dirige  
in conspectu tuo viam meam.

**Q**uoniam non est in ore eorum  
veritas: \* cor eorum vanum est.

**S**epulchrum patens est guttur  
eorum, linguis suis dolose age-  
bant, \* iudica illos DEVS.

**D**ecidant à cogitationibus suis,  
secundum multitudinem impietati-  
um eorum expelle eos, \* quoniam  
irritauerunt te Domine.

**E**t lætentur omnes, qui sperant  
in te, \* in æternum exultabunt: &  
habitabis in eis.

**E**t gloriabuntur in te omnes,  
qui diligunt nomen tuum, \* quoniam  
tu benedices iusto.

**D**omi-

**D**ómine, vt scuto bonæ voluntatis tuæ \* coronásti nos.

## ORATIO.

**D**eprecationes nostras áuribus tuæ cleméntiæ pèrcipe Dómine, qui sperâmus in multitudinè misericórdiæ tuæ, nihil præsuméndo de iustítia nostra: vt ténebris peccatôrum nostrôrum depúlsis, tu sol iustítia oriâris in nobis, qui crassam nostram ignorántiam refórmes in viam veritatis Euangélicæ. Tu scutum nostrum, tu corôna nostra, protége nos aduérsus sæua íacula calumniatôris diáboli, grátia ipsíus Dómini nostri IESV CHRISTI. Amen.

PSAL-



## PSALMVS VI.

*Quo pœnitens obsecrat sibi  
peccata remitti.*

**D**omine, ne in furôre tuo arguas me, \* neque in ira tua corripas me.

**M**iserêre mei Dñe, quóniam infirmus sum : \* sana me Dñe, quóniam conturbâta sunt ossa mea.

**E**t ánima mea turbâta est valdè : \* sed tu Dómine úsquequò?

**C**onuértere Dómine, & éripe ánimam meam : \* saluum me fac propter misericórdiam tuam.

**Q**uóniam non est in morte qui memor sit tui : \* in inférno autem quis confitébitur tibi?

**L**aboráui in gémitu meo, lauâbo per síngulas noctes lectû meum : \* lácrymis meis stratû meum rigâbo.

**T**urbâtus est à furôre óculus meus : \*

meus: \* inueteráuī inter omnes inimicos meos.

**D**iscédite à me omnes qui operámini iniquitâtem: \* quóniam exaudíuit Dñs vocem fletus mei.

**E**xaudíuit Dóminus deprecationem meam, \* Dóminus orationem meam fuscêpit.

**E**rubéscant & conturbéntur vehementer omnes inimíci mei: \* conuertántur & erubéscant valdè velóciter.

### ORATIO.

**D**omine, qui in maiestâte horrenda genus humânum iudicatûrus aduénies; miserêre nobis in hac vita, ne in die iræ, furôris, & vindíctæ condemnêmur ad gehennália supplícia: & conuértere de rigôre iustítiæ ad dulcôrem misericórdiæ, eripiêdo de potestâte tenebrâ-



nebrârum ânimas nostras; atque  
in infirmitâtibus & gemîtibus no-  
stris tua semper grátia muniâ-  
mur. Per CHRISTVM Dóminum  
nostrum. Amen.

## P S A L M V S V I I.

*Quo petit liberari ab hostium iniuriis.*

**D**OmINE DEVS meus, in te spe-  
ráui: \* saluum me fac ex óm-  
nibus persecuéntibus me, & líbe-  
ra me.

**N**e quando rápiat vt leo âni-  
mam meam, \* dum non est qui ré-  
dimat, neque qui saluum fáciat.

**D**ómine DEVS meus, si feci  
istud, \* si est iníquitas in máni-  
bus meis.

**S**i réddidi retribuéntibus mihi  
mala, \* decídám méritò ab inimí-  
cis meis inânis.

**P**ersequâtur inimícus ânimam  
B meam,

meam, & comprehendat, & concúlcet in terra vitá meam,\* & glóriam meam in puluerem deducat.

**E**xúrge Dómine in ira tua:\* & exaltáre in finibus inimicórum meórum.

**E**t exúrge Dómine DEVS meus in præcepto quod mādásti:\* & synagoga populórum circúmdabit te.

**E**t propter hanc in altum regrédere:\* Dóminus iúdicat pópulos.

**I**údicá me Dómine secúndum iustítiam meam,\* & secúndum innocentiam meam super me.

**C**onsumétur nequítia peccatórum, & díriges iustum,\* scrutans corda & renes DEVS.

**I**ustum adiutórium meum à Dómino:\* qui saluos facit rectos corde.

**D**EVS iudex iustus, fortis, & pátiens:



tiens: \* numquid iráscitur per singulos dies?

**N**isi conuérſi fuéritis, gládium suum vibrábit: \* arcum suum teténdit, & paráuit illum.

**E**t in eo paráuit vasa mortis, \* sagíttas suas ardéntibus effêcit.

**E**cce partúriit iniustítiã: \* concêpit dolôré, & péperit iniquitâtem.

**L**acum apérui, & effôdit eum: \* & incidit in fôueam, quam fecit.

**C**onuertêtur dolor eius in caput eius: \* & in vérticem ipsíus iníquitas eius descéndet.

**C**onfitêbor Dómino secúndum iustítiam eius: \* & psallam nómini Dómini altíssimi.

## O R A T I O.

**D**EVS, qui in tua misericórdia sperâmus, & non in virtûte nostra, líbera nos à peccátis nostris;

B 2

ne

ne aliquándo rápiat diábolus, vt  
leo rúgiens, ánimas nostras in in-  
térítum. Præter te, álium saluatô-  
rem non agnóscimus; imò confi-  
têmur & psállimus nómini tuo al-  
tíssimo, qui es benedíctus in sæ-  
cula. Amen.

## PSALMVS VIII.

*Quo petit psallens ex creaturis agno-  
scere DEI Creatoris magnificentiam.*

**D**omine Dóminus noster,\*  
quàm admirábile est no-  
men tuum in vniuersa terra!

**Q**uóniam eleuâta est magnifi-  
cência tua,\* super cælos.

**E**x ore infántium & lactén-  
tium perfecísti laudem propter ini-  
mícos tuos,\* vt déstruas inimícum  
& vltôrem.

**Q**uóniam vidêbo cælos tuos,  
ôpera digitôrum tuôrum: \* lu-  
nam



nam & stellas, quæ tu fundásti.

**Q**uid est homo, quòd memor  
es eius? \* aut filius hóminis, quó-  
niam vísitas eum?

**M**inuísti eum paulò minùs ab  
Angelis, glória & honóre coro-  
násti eum: \* & constituísti eum su-  
per ópera mánuum tuárum.

**O**mnia subiecísti sub pédibus  
eius, \* oues & boues vniúersas, ín-  
su per & pécora campi;

**V**ólucres cæli, & pisces maris, \*  
qui perámbulant fémitas maris.

**D**ómine Dóminus noster, \*  
quàm admirábile est nomen tuum  
in vniúersa terra!

## O R A T I O.

**D**omíne, cuius nomen admi-  
rábile & gloriósum est in  
vniúersa terra, qui infántes erúdis,  
supérbos déstruis, peccatóribus

B 3      mise-

miserêris, cui item flêctitur omne  
 genu, cæléstiũ, terrêstriũ, & infer-  
 nôrum, súpplîces exorâmus, vt pro  
 nóminis tui glória te venerêmur vt  
 creatôrem, diligâmus vt redemptô-  
 rem, qui paulò minùs ab Angelis  
 diminûtus es, propter nos homo fa-  
 ctus: atque timeâmus vt Dñm,  
 qui es benedíctus in sæcula. Amen.

## PSALMVS IX.

*Quo petitur liberatio ab hostium  
 iniurijs.*

**C**onfitêbor tibi Dómine in  
 toto corde meo: \* narrâbo  
 omnia mirabília tua.

Lætâbor & exultâbo in te: \* psal-  
 lam nómini tuo Altíssime,

**I**n conuertêdo inimícũ meum  
 retrórsũ: \* infirmabúntur, & perí-  
 bunt à fácie tua.

**Q**uóniam fecísti iudiciũ meum  
 &



& causam meam : \* sedisti super  
thronum, qui iudicas iustitiam.

**I**ncrepasti Gentes, & perijt im-  
pius : \* nomen eorum delesti in æ-  
tèrnum & in sæculum sæculi.

**I**nimici defecerunt frumènti in fi-  
nem : \* & ciuitates eorum destruxisti.

**P**erijt memoria eorum cum só-  
nitu : \* & Dóminus in ætèrnum  
pèrmanet,

**P**arauit in iudicio thronum  
suum : \* & ipse iudicabit orbem  
terræ in æquitate, iudicabit póp-  
ulos in iustitia.

**E**t factus est Dóminus refú-  
gium páuperi : \* adiutor in oppor-  
tunitatibus, in tribulatione.

**E**t sperent in te qui nouerunt  
nomen tuum : \* quóniam non dere-  
liquisti quærentes te Dómine.

**P**sállite Dómino, qui hábitat

B 4

in

in Sion : \* annuntiâte inter Gentes stúdia eius.

**Q**uóniam requírens sánguinem eórum recordátus est : \* non est oblítus clamórem páuperum.

**M**iserêre mei Dñe : \* vide humilitâtem meam de inimícis meis.

**Q**ui exáltas me de portis mortis : \* vt annúntiem omnes laudatiónes tuas in portis fíliæ Sion.

**E**xultábo in salutári tuo : \* infixæ sunt Gentes in intéritu, quem fecérunt.

**I**n láqueo isto, quem abscóderunt : \* comprehénsus est pes eórum.

**C**ognoscêtur Dóminus iudícia fáciens : \* in opéribus mánuũ suárum comprehénsus est peccátor.

**C**onuertántur peccatóres in inférnum, \* omnes Gentes quæ obliuiscúntur DEVM.

**Q**uó-



**Q**uóniam non in finem obli-  
uio erit páuperis: \* patientia páu-  
perum non peribit in finem.

**E**xúrge Dómine, non confor-  
tetur homo: \* iudicéntur Gentes in  
conspéctu tuo.

**C**onstitue Dómine legislatô-  
rem super eos: \* vt sciant Gentes  
quóniam hómines sunt.

**V**t quid Dómine recessísti lon-  
gè, \* déspicis in opportunitátibus,  
in tribulatiône?

**D**um superbit impius, incéndi-  
tur pauper: \* comprehendúntur in  
consílijs quibus cógitant.

**Q**uóniam laudâtur peccâtor in  
desidérijs ánimæ suæ: \* & iniquus  
benedícitur.

**E**xacerbâuit Dóminum peccâ-  
tor, \* secúndum multitudinem iræ  
suæ non quæret.

B s

Non

**N**on est D E V S in conspéctu  
eius: \* inquinatæ sunt viæ illius in  
omni témpore.

**A**uferúntur iudícia tua à fácie  
eius: \* ómnium inimicórum suó-  
rum dominábitur.

**D**ixit enim in corde suo: \* Non  
mouêbor à generatióne in genera-  
tióne sine malo.

**C**uius maledictiône os plenum  
est, & amaritúdine, & dolo: \* sub  
lingua eius labor & dolor.

**S**edet in insídijs cum diuítibus  
in occúltis, \* vt interfíciat inno-  
céntem.

**O**culi eius in páuperem respí-  
ciunt: \* insidiâtur in abscondito,  
quasi leo in spelúnca sua.

**I**nsidiâtur vt rápiat páuperem: \*  
rápere páuperem, dum átrahit  
eum.

**I**n



**I**n láqueo suo humiliabit eum,\*  
inclinabit se, & cadet cùm domi-  
natus fúerit páuperum.

**D**ixit enim in corde suo: Oblí-  
tus est DEVS,\* auértit fáciem suam,  
ne vídeat in finem.

**E**xúrge Dómine DEVS, exal-  
têtur manus tua: \* ne obliuiscâris  
páuperum.

**P**ropter quid iritâuit impius  
DEVM? \* dixit enim in corde suo:  
Non requîret.

**V**ides, quóniam tu labôrem  
& dolôrem considéras:\* vt tradas  
eos in manus tuas.

**T**ibi derelíctus est pauper:\* ór-  
phano tu eris adiûtor.

**C**óntere bráchium peccatôris  
& maligni: \* quærêtur peccâ-  
tum illius, & non inueniêtur.

**D**óminus regnâbit in ætérnum,  
&

& in sæculum sæculi : \* peribitis  
Gentes de terra illius.

**D**esiderium pauperum exaudi-  
uit Dominus : \* præparationem cor-  
dis eorum audiuit auris tua.

**I**udicare pupillo & humili, \* vt  
non apponat vltra magnificare se  
homo super terram.

**O R A T I O.**

**I**psc qui Dominus est vniuerso-  
rum, ab Antichristi insidiis ac  
fraudibus nos custodire dignetur  
illæsos: vt sic exaltati de portis infe-  
ri in illum sperantes, ab illo pupilli  
effecti, solum ipsum CHRISTVM  
vt patrem confiteamur, ipsum se-  
quamur fide, ipsum timeamus cor-  
de, ipsum glorificemus opere. Cui  
cum æterno Patre & Spiritu san-  
cto est honor & gloria in sæcula  
sæculorum, Amen.

**PSAL-**



## PSALMVS X.

*Quo petitur in persecutione spes &  
refugium ad DEVM.*

**I**N Dómino confído; quómodo  
dícitis ánimæ meæ: \* Tránsmi-  
gra in montem sicut passer?

**Q**uóniam ecce peccatóres in-  
tendérunt arcum, parauérunt sa-  
gíttas suas in pháretra, \* vt sagíttent  
in obscúro rectos corde.

**Q**uóniam quæ perfecísti, de-  
struxérunt: \* iustus autem quid  
fecit?

**D**óminus in templo sancto  
suo, \* Dóminus in cælo sedes eius:

**O**culi eius in páuperem respí-  
ciunt: \* pálpebræ eius intérogant  
filios hóminum.

**D**óminus intérogat iustum &  
ímpium: \* qui autem díligit iniqui-  
tâtem, odit ánimam suam.

**P** luct

**P**luet super peccatóres láqueos: ignis, & sulphur, & spíritus procellârum, pars cálicis eórum.

**Q**uóniam iustus Dóminus, & iustítias diléxit: \* æquitâtem vidit vultus eius.

## ORATIO.

**S**pes salútis nostræ **D**EVS, in quem confídimus, réspice in páuperem pópulum tuum Christiânium: vt non secúndum peccâta nostra nobis supplícia inferas, sed secúndum magnam misericórdiam tuam, véniam largiâris, atque versútias dolósque hæreticórum & malignórum, quorum futúras pœnas agnóscimus, subterfúgere valeâmus, æquitâtem & iustítiam veram custodiéntes. Per **C**HRISTVM Dóminum nostrum.

PSAL-



## PSALMVS XI.

*Quo petitur, ne anima in mundo impiorum vitiis inquinetur.*

**S** Aluum me fac Dómine, quóniam defêcit sanctus: \* quóniam diminútæ sunt veritátes à filiis hóminum.

**V** ana locúti sunt vnusquísque ad próximum suum: \* lábia dolôsa, in corde & corde locúti sunt.

**D** isperdat Dñs vniuersa lábia dolôsa, \* & linguam magníloquam.

**Q** ui dixerunt: Linguam nostram magnificábimus, lábia nostra à nobis sunt, \* quis noster Dóminus est?

**P** ropter misériam ínopum, & gémitum páuperum, \* nunc exúrgam, dicit Dóminus.

**P** onam in salutári: \* fiduciáliter agam in eo.

**E** ló-

**E** lóquia Dñi, elóquia casta: \* argéntum igne examinátum, probátum terræ, purgátum séptuplum.

**T** u Dómine seruâbis nos : & custódies nos \* à generatióne hac in ætérnum.

**I**n circúitu ímpij ámbulant: \* secúndum altitúdinem tuam multiplicásti filios hóminum.

## ORATIO.

**C**oncède nobis, Dómine, secúndum elóquia casta & Euangélica, fiduciáliter ágere in hoc mundo náufrago, vbi diminútæ sunt veritátes doctínæ, vitæ, & iustítiæ à fílijs hóminum. Ne dispéras nos, sed seruâre & custodîre dignêris, cùm tota consolátio nostra sit in IESV CHRISTO salutári nostro. Qui tecum viuit & regnat, &c.

PSAL-



## PSALMVS XII.

*Ne vñquam satanæ tentationi  
succumbat.*

**V**squequò Dómine obliuísce-  
ris me in finem? \* Vsquequò  
auértis fáciem tuam à me?

**Q**uámdiu ponam consília in  
ánima mea, \* dolôrem in corde  
meo per diem?

**V**squequò exaltábitur inimîcus  
meus super me? \* réspice, & exáudi  
me Dómine DEVS meus.

**I**llúmina óculos meos, ne vñ-  
quam obdórmiam in morte: \* ne-  
quándo dicat inimîcus meus: Præ-  
uálui aduérsum eum.

**Q**ui tríbulant me, exultábunt  
si motus fúero: \* ego autem in mi-  
sericórdia tua speráui.

**E**xultábit cor meum in salutári  
tuo: cantábo Dómino qui bona  
C tríbuit

tribuit mihi: \* & psallam nómini  
Dómini Altíssimi.

## ORATIO.

**N**E obliuiscâris nos Dómine in  
finem, neque auértas fáciem  
grátiae tuæ in tribulatióibus no-  
stris. Sed illúmina, quæsumus,  
interiôres óculos mentis nostræ,  
vt non obdormiâmus in morte  
peccâti, ne præuáleat calumniâ-  
tor noster diábolus: sed exúltet  
cor nostrum in salutári tuo Dó-  
mino nostro IESV CHRISTO,  
cuius nomen altíssimum sit bene-  
dictum in sæcula.

Psalm



## PSALMVS XIII.

*Quo petit psallens, se & Christianos, atheorum & impiorum tyrannide liberari.*

**D**ixit insípiens in corde suo: \*  
Non est DEVS

**C**orrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in stúdiis suis: \* non est qui fáciat bonum, non est vsque ad vnum.

**D**óminus de cælo prospéxit super filios hóminum, vt vídeat si est intélligens, aut requíres DEVM.

**O**mnes declinauerút, simul inútiles facti sunt: \* non est qui fáciat bonum, non est vsque ad vnum.

**S**epúlchrum patens est guttur eórum: linguis suis dolósè agébant, \* venénium áspidum sub lábiis eórum.

**Q**uorum os maledictióne &

C 2

ama-

amaritúdine plenum est: \* velóces  
pedes eórum ad effundéndum sán-  
guinem.

**C**ontrítio & infelícitas in viis  
eórum, & viam pacis non cogno-  
uérunt: \* non est timor DEI ante  
óculos eórum.

**N**ónne cognóscant omnes qui  
operántur iniquitâtem, \* qui de-  
uorant plebem meam sicut escam  
panis?

**D**óminum non inuocauérunt,  
illic trepidauérunt timóre, vbi non  
erat timor.

**Q**uóniam Dñs in generatióne  
iusta est, consílium ínopis confu-  
dístis: \* quóniam Dñs spes eius est.

**Q**uis dabit ex Sion salutâre Is-  
raël? \* cùm auérterit Dóminus ca-  
ptiuitâtem plebis suæ, exultâbit Ia-  
cob, & lætâbitur Israël.

**ORA-**



## ORATIO.

**R** Espice Dómine de cælo sancto tuo, vt viam pacis agnoscentes, ambulémus in timóre sancto tuo: vt híc Iacob efféctu supplantátis vítijs, tandem veri Israéli-tæ in cælésti Ierúsalem inueniámur. Per Dóminum nostrum IESVM CHRISTVM Fílium tuum.

## PSALMVS XIV.

*Quo petitur cognitio viæ in cælum,  
videlicet innocentia.*

**D** Omine, quis habitâbit in tabernáculo tuo? \* aut quis requiescet in monte sancto tuo?

**Q**ui ingreditur sine mácula, \*  
& operâtur iustitiam:

**Q**ui lóquitur veritâtem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua:

**N**ec fecit próximo suo malum, \*

C 3

&

& oppróbrium non accēpit ad  
uērsus próximos suos.

**A**d níhilum dedúctus est in  
cōspéctu eius malignus: \* timén  
tes autem Dóminum gloríficat:

**Q**ui iurat próximo suo, & non  
dēcipit, \* qui pecúniam suam non  
dedit ad vsūram, & múnera super  
innocéntem non accēpit:

**Q**ui facit hæc, \* non mouébitur  
in ætérnum.

### ORATIO.

**P**Ræsta, quæsumus, vt sine má-  
cula ingrediâmur Ecclesiã  
tuam, & operêmur iustítiam in-  
desinenter, atque à dolis próximos,  
oppressiõibus, & vsúris auertã-  
mur, vt sic non excidãmus à coetu  
filiõrum DEI, neque abiiciãmur  
à te vero DEO nostro IESV CHRI-  
STO. Amen.

PSAL-



## PSALMVS XV.

*Quo psallens petit, ut DEVS sit sors  
sua, utque beetur gloria corporis  
et anima.*

**C**onsérva me Dómine, quóniam speráui in te. \* Dixi Dómino: DEVS meus es tu, quóniam bonórum meórum non eges.

**S**anctis, qui sunt in terra eius, \* mirificáuit omnes voluntátes meas in eis.

**M**ultiplicátæ sunt infirmitátes eórum: \* pósteà accelerauerunt.

**N**on congregábo conuentícula eórum de sanguínibus: \* nec memor ero nóminum eórum per lábia mea.

**D**óminus pars hereditátis meæ, & cálicis mei: \* tu es, qui restítues hereditátem meam mihi.

**F**unes cecidérunt mihi in præclaris: \*

C 4

cláris: \*

cláris: \* étenim heréditas mea præclára est mihi.

**B**enedîcam Dóminum, qui tribuit mihi intelléctum: \* însuper & vsque ad noctem increpuérunt me renes mei.

**P**rouidêbam Dóminum in conspéctu meo semper: \* quóniam à dextris est mihi, ne commóuear.

**P**ropter hoc lætátum est cor meum, & exultáuit lingua mea: \* însuper & caro mea requiêscet in spe.

**Q**uóniam non derelínques ánimam meam in inférno: \* nec dabis sanctum tuum vidêre corruptiônem.

**N**otas mihi fecísti vias vitæ, adimplêbis me lætítia cum vultu tuo: \* delectatiónes in dextera tua vsque in finem.

**ORA-**



## ORATIO.

**C**onferua nos Dómine sperantes in te, vt simus pórto he-  
reditatis tuæ, & notas nobis fá-  
cito vias vitæ, vt lætítia resurre-  
ctiõnis à dextris tuis cum ómnibus  
Sanctis lætémur. Per Dóminum  
nostrum IESVM CHRISTVM Fí-  
lium tuum.

## PSALMVS XVI.

*Quo petitur ab hostium, siue homi-  
num, siue demonum, iniuriis pro-  
tectio.*

**E**Xáudi Dñe iustítiam meam:  
inténde deprecationē meam.

**A**uribus pécipe oratiõnem  
meam: \* non in lábijs dolósis.

**D**e vultu tuo iudícium meum  
pródeat: \* óculi tui vídeát equitátes.

**P**robásti cor meum, & visitá-  
sti nocte: \* igne me examinásti, &

C 5

non

non est inuēta in me iníquitas.

**V**t non loquâtur os meū ópera  
hóminū: \* propter verba labiôrum  
tuôrum ego custodiui vias duras.

**P**érfice gressus meos in sēmitis  
tuis: \* vt nō moueātur vestígia mea.

**E**go clamáui, quóniam exaudí-  
sti me DEVS, \* inclína aurem tuam  
mihi, & exáudi verba mea.

**M**irífica misericórdias tuas, \*  
qui saluos facis sperántes in te.

**A**resisténtibus dēxteræ tuæ cu-  
stódi me, \* vt pupíllam óculi.

**S**ub vmbra alârum tuârum  
prótege me: \* à fácie impiôrum qui  
me afflixérunt.

**I**nimíci mei ánimam meam  
circumdedérunt, ádipem suum  
conclusérunt: \* os eôrum locútum  
est supérbiam.

**P**roiciéntes me nunc circum-  
dedérunt



dedérunt me: \* óculos suos statuérunt declinâre in terram.

**S**uscepérunt me sicut leo parâ-  
tus ad prædam: \* & sicut cãtulus  
leõnis hábitans in ábditis.

**E**xúrge Dómine, præueni eum,  
& supplanta eum: \* éripe ánimam  
meam ab ímpio, frámeam tuam  
ab inimícis manus tuæ.

**D**ómine à paucis de terra díui-  
de eos in vita eõrú: \* de absconditis  
tuis adimplétus est venter eõrum.

**S**aturáti sunt filijs: \* & dimisérunt  
relíquias suas páruulis suis.

**E**go autem in iustítia apparêbo  
conspéctui tuo: \* satiâbor cùm ap-  
paruérít glória tua.

## ORATIO.

**D**omine IESV CHRISTE,  
qui saluos facis sperántes in  
te, cuius crux salus vniuersõrum  
est,

est, custódi nos peccatóres vt pupillam óculi, atque sub vmbra alârũ tuârũ, quæ sunt misericórdia & cháritas, prótege nos; vt examináti diuino igne, tandem in iustítia tua appareámus conspéctui tuo, cùm vénerit glória tua in eléctis, quia tu es benedíctus in sæcula sæculórum. Amen.

## PSALMVS XVII.

*Quo petitur tentationum & vitiorum victoria ac dominium.*

**D**iligam te Dómine fortitúdo mea. \* Dóminus firmaméntum meum, & refúgium meum, & liberátor meus.

**D**EVS meus, adiutor meus, \* & sperábo in eum.

**P**rotéctor meus, & cornu salutis meæ, \* & fuscéptor meus.

**L**audans inuocábo Dóminum: \*

&



& ab inimicis meis saluus ero.

**C**ircumdedérunt me dolóres mortis: \* & torréntes iniquitátis conturbauérunt me.

**D**olóres inférni circumdedérunt me: \* præoccupauérunt me láquei mortis.

**I**n tribulatióne mea inuocáui Dóminum, \* & ad DEVM meum clamáui:

**E**t exaudíuit de templo sancto suo vocem meam: \* & clamor meus in conspéctu eius introíuit in aures eius.

**C**ommôta est, & contrémuit terra: \* fundaménta móntium conturbâta sunt, & commôta sunt, quóniam irâtus est eis.

**A**scéndit fumus in ira eius: & ignis à fácie eius exársit: \* carbónes succénsi sunt ab eo.

**I**ncli-

**I**nclinâuit cælos, & descéndit:  
& caligo sub pédibus eius.

**E**t ascéndit super Chérubim,  
& volâuit: \* volâuit super pennas  
ventôrum.

**E**t pòsuit tenebras latibulū suū,  
in circūitu eius tabernaculū eius:  
tenebrōsa aqua in núbibus aéris.

**P**ræ fulgøre in conspéctu eius  
nubes transiérunt, \* grando & car-  
bónes ignis.

**E**t intónuit de cælo Dóminus,  
& Altíssimus dedit vocem suam:  
grando & carbónes ignis.

**E**t misit sagíttas suas, & dissipâ-  
uit eos: \* fúlgura multiplicâuit, &  
conturbâuit eos.

**E**t apparuérunt fontes aquâ-  
rum, \* & reuelâta sunt fundamén-  
ta orbis terrârum:

**A**b increpatióne tua Dómine,  
ab



ab inspiratiōne spíritus iræ tuæ.

**M**isit de summo, & accêpit me,\*  
& assumpsit me de aquis multis.

**E**ripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab iis qui odérunt me:\*  
quóniam confortati sunt super me.

**P**raeuénérunt me in die afflictionis meæ:\* & factus est Dóminus protéctor meus.

**E**t edúxit me in latitúdinem:\*  
saluum me fecit, quóniam voluit me.

**E**t retríbuet mihi Dóminus secundum iustítiam meam,\* & secundum puritatem mánuum meárum retríbuet mihi:

**Q**uia custodíui vias Dómini,\*  
nec impiè gessi à DEO meo.

**Q**uóniam ómnia iudícia eius in conspéctu meo:\* & iustítias eius non répuli à me.

**E**t

**E**t ero immaculatus cum eo: \* & obseruabo me ab iniquitate mea.

**E**t retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam: \* & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.

**C**um sancto sanctus eris, \* & cum viro innocente innocens eris:

**E**t cum electo electus eris: \* & cum peruerso peruertêris.

**Q**uoniam tu populum humilem saluum facies: \* & oculos superborum humiliabis.

**Q**uoniam tu illuminas lucernam meam Domine: \* Deus meus illumina tenebras meas.

**Q**uoniam in te eripiar à tentatione, \* & in Deo meo transgrediar murum.

**D**EVS



**D**EVS meus impollûta via eius:  
elóquia Dñi igne examinâta: \* pro-  
tector est ómnium sperántiũ in se.

**Q**uóniam quis **D**EVS præter  
Dóminum? \* aut quis **D**EVS præter  
DEVM nostrum?

**D**EVS qui præcínxit me virtû-  
te: \* & pòsuit immaculâtam viam  
meam.

**Q**ui perfecit pedes meos tam-  
quam ceruôrum, \* & super excélsa  
státuens me.

**Q**ui docet manus meas ad præ-  
lium: \* & posuísti, vt arcum ereum,  
bráchia mea.

**E**t dedísti mihi protectiônem  
salûtis tuæ: \* & dextera tua suscé-  
pit me:

**E**t disciplîna tua corréxit me  
in finem: \* & disciplîna tua ipsa  
me docêbit.

**D**

**D**ila-

**D**ilatásti gressus meos subtus me: \* & non sunt infirmâta vestigia mea:

**P**érsequar inimícos meos, & comprehéndam illos: \* & non conuértar donec deficiant.

**C**onfríngam illos, nec póterunt stare: \* cadent subtus pedes meos.

**E**t præcinxísti me virtûte ad bellum: \* & supplantásti insurgéntes in me subtus me.

**E**t inimícos meos dedísti mihi dorsum, \* & odiéntes me disperdidísti.

**C**lamauérunt, nec erat qui saluos fáceret, ad Dóminum: \* nec exaudiuit eos.

**E**t commínuam eos vt púluerem ante fáciem venti: \* vt lutum plateârum delêbo eos.

**E**rípies me de contradiçãoibus



bus pópuli: \* constitues me in caput Géntium.

Pópulus, quem non cognóui, seruauit mihi: \* in auditu auris obediuít mihi.

Fílij aliéni mentíti sunt mihi, \* fílij aliéni inueteráti sunt, & claudicauerunt à sémitis suis.

Viuit Dóminus, & benedíctus DEVS meus, \* & exaltétur DEVS salútis meæ.

DEVS qui das vindíctas mihi, & subdis pópulos sub me, \* liberátor meus de inimícis meis iracúndis.

Et ab insurgéntibus in me exaltábis me: \* à viro iníquo erípies me

Proptéreà confitêbor tibi in natióibus Dómine: \* & nómini tuo psalmum dicam.

D 2

M agni-

**M**agnificans salútes Regis eius,  
& fáciens misericórdiam christo  
suo Dauid,\* & sémini eius vsque  
in sæculum.

## ORATIO.

**P**rotéctor noster DEVS, & cor-  
nu salútis nostræ, fortitúdo,  
firmaméntum, & únicum refú-  
gium nostrum, salua nos ab inimí-  
cis tam visibílibus quàm inuisibí-  
libus, & educ nos de angústia tri-  
bulatiónis in latitúdinem consola-  
tiónis & bonæ spei. Illúmina quo-  
que ténébras cordis, ne inueteráti  
in peccátis claudicêmus à sémitis  
tuis, & aberrêmus à vero lúmine,  
qui CHRISTVS est benedíctus in  
sæcula. Amen:



## PSALMVS XVIII.

*Quo petitur legis & timoris*

*DEI studium.*

**C**æli enarrant glóriam DEI,\*  
& ópera mánuum eius an-  
núntiat firmaméntum.

**D**ies diéi erúctat verbum,\* &  
nox nocti índicat sciéntiam.

**N**on sunt loquélæ, neque ser-  
mónes,\* quorum non audiántur  
voces eórum.

**I**n omnem terram exiuit so-  
nus eórum:\* & in fines orbis terræ  
verba eórum.

**I**n sole pósuit tabernáculum  
suum:\* & ipse tamquam sponsus  
procédens de thálamo suo.

**E**xultáuit vt gigas ad curren-  
dam viam,\* à summo cælo egréssio  
eius:

**E**t occúrsus eius vsque ad sum-

D 3

mum

mum eius: \* nec est qui se abscondat à calore eius.

**L**ex Dómini immaculâta, conuertens ánimas: \* testimónium Dómini fidèle, sapiéntiam præstans páruulis.

**I**ustitiæ Dómini rectæ, lætificantes corda: \* præcéptum Dómini lúcidum, illúminans óculos.

**T**imor Dñi sanctus, pérmanens in sæculum sæculi: \* iudícia Dómini vera, iustificâta in semetíp̃sa.

**D**esiderabilia super aurum & lápidem pretiôsum multum: \* & dulciôra super mel & fauum.

**E**tenim seruus tuus custôdit ea, \* in custodiéndis illis retributio multa.

**D**elícta quis intélligit? ab occultis meis munda me: \* & ab aliénis parce seruo tuo.

**S**i



DAVIDIS.

SS

Si mei non fuerint dominati,  
nunc immaculatus ero: \* & emun-  
dabor à delicto máximo.

Et erunt vt compláceant, eló-  
quia oris mei: \* & meditatio cordis  
mei in conspéctu tuo semper.

Dómine adiutor meus, \* & re-  
demptor meus.

ORATIO.

**D**EVS, qui virgináli thálamo  
egressus, rursus ad patris dex-  
teram conscendisti, imménsam  
tuam misericórdiam expóscimus,  
vt lege tua Euangélica conuérsi,  
mandátis illuminati, testimónijs  
eruditi, in timóre tuo sancto per-  
manétes, à peccátis tam occultis  
quàm aliénis nos emundâre dignê-  
ris IESVS CHRISTVS Dominus  
noster. Amen.

D 4

PSAL-

*Quo oratur pro victoria contra demones & quosuis hostes.*

**E**Xáudiat te Dóminus in die tribulatiônis: \* próteget te nomen DEI Iacob.

**M**ittat tibi auxílium de sancto: \* & de Sion tueâtur te.

**M**emor sit omnis sacrificij tui: \* & holocáustum tuum pingue fiat.

**T**ríbuat tibi secúndum cor tuum: \* & omne consílium tuum confirmet.

**L**ætábimur in salutári tuo: \* & in nómine DEI nostri magnificábimur.

**I**mpleat Dñs omnes petitiónes tuas: \* nunc cognóui quóniam saluum fecit Dóminus Christũ suum.

**E**xáudiet illũ de celo sancto suo: \* in potentátibus salus dexteræ eius.

**H**i



**H**i in cúrribus, & hi in equis: \*  
nos autem in nómine Dómini  
DEI nostri inuocábimus.

**I**psi obligáti sunt, & cecidé-  
runt: \* nos autem furréximus &  
erécti sumus.

**D**ómine saluum fac regem: \* &  
exáudi nos in die, qua inuocauéri-  
mus te.

## ORATIO.

**E**Xáudi nos Dñe de cælo sancto  
tuo, & imple omnes petitiónes  
nostras, tu qui es salus dexteræ no-  
stræ: vt erécti in spem véniæ surgâ-  
mus de peccátis, quibus óbliti & il-  
laqueáti fúimus, in nómine Dómi-  
ni IESV CHRISTI DEI nostri: & de  
cuius passiône affligimur, eius re-  
surrectiône lætémur: qui cum ætér-  
no Patre & Spíritu sancto viuit &  
regnat DEVS, per ómnia sæcula.

*Quo oratur pro continuatione  
victoriae.*

**D**omine in virtûte tua lætâ-  
bitur rex: \* & super salutâre  
tuum exultâbit vehementer.

**D**esiderium cordis eius tribuî-  
sti ei: \* & voluntate labiôrum eius  
non fraudâsti eum.

**Q**uoniam præuenîsti eum in  
benedictiônibus dulcêdinis: \* po-  
suîsti in cåpite eius corônâ de lâ-  
pide pretiôso.

**V**itam pétiit à te: \* & tribuîsti  
ei longitûdinem diêrum in sæcu-  
lum, & in sæculum sæculi.

**M**agna est glória eius in salu-  
târi tuo: \* glóriam & magnum de-  
côrem impônes super eum.

**Q**uoniam dabis eum in bene-  
dictiônem in sæculum sæculi: \* læ-  
tificâ-



tificâbis eum in gáudio cum vultu tuo.

**Q**uóniam rex sperat in Dómino: \* & in misericórdia Altíssimi non commouébitur.

**I**nueniâtur manus tua ómnibus inimícis tuis: \* dextera tua inueniat omnes, qui te odérunt.

**P**ones eos vt clíbanum ignis in témpore vultus tui: \* Dóminus in ira sua conturbâbit eos, & deuorâbit eos ignis.

**F**ructum eórum de terra perdes: \* & semen eórum à fílijs hóminum.

**Q**uóniam declinauérunt in te mala; \* cogitauérunt consília, quæ non potuérunt stabilîre.

**Q**uóniam pones eos dorsum: \* in relíquijs tuis præparâbis vultum eórum.

**E**xal-

**E**xaltâre Dñe in virtûte tua: \* can-  
tâbimus & psallêmus virtûtes tuas.

## ORATIO.

**B**enedic nos Dómine benedi-  
ctiône dulcédinis, vt laudes  
tuas fidéliter cantêmus, atque ópe-  
re nostro mandâta tua impleâmus,  
& tandem consequâmur longitú-  
dinem diêrum æternôrum, in salu-  
târi tuo **CHRISTO** Dómino  
nostro, cuius magna est glória in  
sæcula sæculôrum. Amen.

## PSALMVS XXI.

*Quo psallens exercetur, cûm in extre-  
ma afflictione, cruce, & martyrio  
est constitutus.*

**D**EVS DEVS meus, respice  
in me: quare me dereliquí-  
sti? \* longè à salûte mea verba de-  
lictôrum meôrum.

**D**EVS meus clamâbo per diem,  
&



& non exáudies: \* & nocte, & non  
ad insipientiam mihi.

**T**u autem in sancto hábitas, \*  
Laus Israël.

**I**nte sperauérunt patres nostri, \*  
sperauérunt, & liberásti eos.

**A**d te clamauérunt, & salui fa-  
cti sunt: \* in te sperauérunt & non  
sunt confúsi.

**E**go autem sum vermis, & non  
homo: \* oppróbrium hóminum,  
& abiéctio plebis.

**O**mnes vidéntes me, derisérunt  
me: \* locúti sunt lábijs, & moué-  
runt caput.

**S**perâuit in Dño, erípiat eum: \*  
saluū fáciat eum, quóniã vult eum.

**Q**uóniam tu es, qui extraxísti  
me de ventre: \* spes mea ab ubéri-  
bus matris meæ. In te proiéctus  
sum ex útero:

**D**e

**D**e ventre matris meæ **D**EVS  
meus es tu, \* ne discésseris à me.

**Q**uóniam tribulatio próxima  
est: \* quóniam non est qui ádiuuet.

**C**ircumdedérunt me vítuli mul-  
ti: \* tauri pingues obsederunt me.

**A**peruérunt super me os suum, \*  
sicut leo rápiens & rúgiens.

**S**icut aqua effûsus sum: \* & di-  
spérfa sunt ómnia ossa mea.

**F**actum est cor meum tam-  
quam cera liquéscens \* in médio  
ventris mei.

**A**ruit tamquam testa virtus  
mea, & lingua mea adhæsit fáuci-  
bus meis: \* & in púluerem mortis  
deduxísti me.

**Q**uóniam circumdedérunt me  
canes multi: \* concílium malignán-  
tium obsêdit me.

**F**oderunt manus meas & pe-  
des



des meos: \* dinumerauerunt omnia ossa mea.

**I**psi verò considerauerunt & inspexerunt me: \* diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.

**T**u autem Dómine ne elongáueris auxílium tuum à me: ad defensionem meam cónspice.

**E**rue à frámea DEVS ánimam meam: \* & de manu canis únicam meam:

**S**alua me ex ore leónis: \* & à cornibus vnicórnium humilitátem meam.

**N**arrábo nomen tuum frátribus meis: \* in médio Ecclesiæ laudábo te.

**Q**ui timétis Dóminum, laudáte eum: \* vniuersum semen Iacob glorificáte eum.

**T**ímeat

**T**ímeat eum omne semen Israël: \* quóniam non spreuit, neque despéxit deprecationem páuperis.

**N**ec auértit fáciem suam a me: \* & cùm clamârem ad eum, exaudíuit me.

**A**pud te laus mea in ecclésia magna: \* vota mea reddam in conspéctu tíméntium eum.

**E**dent páuperes, & saturabúntur: & laudábunt Dóminum qui requíruit eum: \* viuent corda eórum in sæculum sæculi.

**R**eminiscéntur & conuerténtur ad Dóminum \* vniuersi fines terre.

**E**t adorábunt in conspéctu eius \* vniuersæ famíliæ Géntium.

**Q**uóniam Dómini est regnũ: \* & ipse dominábitur Géntium.

**M**anducauérunt & adoraué-  
runt omnes pingues terræ: \* in con-  
spéctu



spéctu eius cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et ánima mea illi viuet: \* & semen meum séruiet ipsi.

Annuntiábitur Dómino generátio ventúra: \* & annuntiábunt cæli iustítiam eius pópulo qui nascêtur, quem fecit Dóminus.

## O R A T I O.

**D**E v s, qui es laus & glória Ecclésiæ Cathólicæ, pro nobis oppróbrium factus in ligno crucis, clavis confóssus, lancea perforátus; precámur, vt huius non immémor, sperántibus in te sis liberátor ab ómnibus angústijs & misérijs nostris. Ne differas auxílium, quia non est álius qui ádiuuet præter te Dóminum nostrum, cuius nomen benedíctum in sæcula. Amen.

E

PSAL-

## PSALMVS XXII.

*Quo psallens postulat, ut DEVS nos  
quasi oues suas regat, & pascat  
bonis omnibus.*

**D**ominus regit me, & nihil  
mihi déerit: \* in loco páscuæ  
ibi me collocâuit.

**S**uper aquam refectiônis edu-  
câuit me: \* animã meam conuértit.

**D**edúxit me super sémítás iu-  
stítia, \* propter nomen suum.

**N**am, & si ambulávero in mé-  
dio umbræ mortis, non timébo  
mala: \* quóniam tu mecum es.

**V**irga tua, & báculo tuus: \*  
ipsa me consolâta sunt.

**P**arásti in conspéctu meo men-  
sam, \* aduersus eos qui tríbulât me.

**I**mpinguásti in óleo caput  
meum: \* & calix meus inébrians  
quàm præclârus est!

**E**t



Et misericórdia tua subsequetur  
me \* ómnibus diēbus vitæ meæ.

Et vt inhábitem in domo Dó-  
mini, \* in longitúdinem diērum.

## ORATIO.

**S**Vpplicāmus, Dómine, vt áni-  
mas nostras à vítijs & diábo-  
li potestáte ad te conuértere di-  
gnēris, & super sēmitas iustitiæ di-  
rígere, & inter aduérsa corroborá-  
re, vt sic cálice benedictiōnis sán-  
guinis tui inebriáti, atque esca cælé-  
sti saturáti, post finem huius vitæ  
inhabitēmus in domo tua cælésti,  
in æternitatem diērum. Amen.

## PSALMVS XXIII.

*Quo petitur innocentia, qua ea-  
tur in cælum.*

**D**Omini est terra, & plenitū-  
do eius: \* orbis terrárum, &  
vniuersi qui hábitant in eo.

E 2

Quia

**Q**uia ipse super maria fundavit eum: \* & super flumina præparavit eum.

**Q**uis ascendet in montem Domini? \* aut quis stabit in loco sancto eius?

**I**nnocens manibus & mundo corde: \* qui non accepit in vano animam suam, nec iuravit in dolo proximo suo.

**H**ic accipiet benedictionem à Domino: \* & misericordiam à Deo salutari suo.

**H**æc est generatio querentium eum, \* querentium faciem Dei Iacob.

**A**ttollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales: \* & introibit Rex gloriæ.

**Q**uis est iste Rex gloriæ? \* Dominus fortis & potens: Dominus potens in prælio.

**A**ttol-



**A**ttóllite portas príncipes vestras, & eleuámini portæ æternáles: \* & introíbit Rex glóriæ.

**Q**uis est iste Rex glóriæ? \* Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

## O R A T I O.

**D**Omíne IESVCHRISTE, Rex glóriæ, cui plenitúdo orbis terrarum deseruit, da quæsumus benedictiõnem & misericórdiam tuam: vt qui sacri Baptísma-  
tis lauacro regeneráti sumus, te salutáre nostrum mundo corde quæ-  
réntes, ablegátis mundi vanitá-  
tibus, tandem ad montem sanctum  
in cæléstibus perueníre valeámus.  
Amen.

*Quo petitur liberatio à tribulatione  
& peccatis.*

**A**D te Dómine leuáui ánimam meam: \* DEVS meus in te confido, non erubescam.

**N**eque irrideant me inimici mei: \* etenim vniuersi, qui sústinent te, non confundentur.

**C**onfundantur omnes iniqua agentes \* superuacue.

**V**ias tuas Dómine demonstra mihi: \* & sémitas tuas edoce me.

**D**irige me in veritáte tua, & doce me: \* quia tu es DEVS saluator meus, & te sustinui tota die.

**R**eminiscere miserationum tuarum Dómine, & misericordiárum tuarum, quæ à sæculo sunt.

**D**elí-



**D**elicta iuuentutis meæ, \* &  
ignorantias meas ne memineris.

**S**ecundum misericordiam tuam  
memento mei tu: \* propter boni-  
tatem tuam, Dómine.

**D**ulcis & rectus Dóminus: \*  
propter hoc legem dabit delin-  
quentibus in via.

**D**iriget mansuetos in iudicio: \*  
docêbit mites vias suas.

**V**niuersæ viæ Dómini, mise-  
ricórdia & véritas, \* requirénti-  
bus testaméntum eius & testimó-  
nia eius.

**P**ropter nomen tuum Dómi-  
ne propitiaberis peccáto meo: \*  
multum est enim.

**Q**uis est homo qui timet Dó-  
minum? \* legem statuit ei in via,  
quam elêgit.

**A**nima eius in bonis demorá-  
bitur: \*

bitur : \* & semen eius hereditabit terram.

**F**irmamentum est Dóminus timéntibus eum : \* & testaméntum ipsíus vt manifestétur illis.

**O**culi mei semper ad Dóminum : \* quóniam ipse euéllit de láqueo pedes meos.

**R**éspice in me , & miserére mei : \* quia únicus & pauper sum ego.

**T**ribulatiónes cordis mei multiplicatæ sunt : \* de necessitatibus meis érue me.

**V**ide humilitátem meam , & labórem meum : \* & dimítte uniuersa delicta mea.

**R**éspice inimicos meos , quóniam multiplicati sunt , \* & ódio iníquo odérunt me.

**C**ustódi ánimam meam , &  
érue



érue me: \* non erubescam, quóniam speráui in te.

I nnocentes & recti adhæserunt mihi: \* quia sustinui te.

L íbera DEVS Israë!, \* ex ómnibus tribulatióibus suis.

## O R A T I O.

**P** Rotector noster DEVS, in quem confidimus, reminiscere miserationum tuarum, & dimitte vniuersa delicta nostra, vt mansuëti & mites facti, atque à delictis iuentutis & ignorantie exuti, vias vitæ & veritatis sectemur, per quam in bonis demoremur, & hereditate tandem perfruamur æterna, propitiatore Dómino nostro IESV CHRISTO, Amen.

*Quo petitur ut in exilio constitutus,  
Ecclesie & calo restituatur.*

**I**udica me Dómine, quóniam  
ego in innocentia mea ingrés-  
sus sum: \* & in Dómino sperans  
non infirmabor.

**P**roba me Dñe, & tenta me:  
vré renes meos, & cor meum.

**Q**uóniam misericórdia tua  
ante óculos meos est: \* & complá-  
cui in veritatē tua.

**N**on sedi cum concílio vanitá-  
tis: \* & cum iníqua geréntibus non  
introibo.

**O**díui ecclésiám malignán-  
tium: \* & cum impijs non sedēbo.

**L**auābo inter innocētes ma-  
nus meas: \* & circúmdabo altāre  
tuum Dómine.

**V**t áudiam vocem laudis, \* &  
enár-



enárreim vniuersa mirabília tua.

**D**ómine diléxi decôrem domus tuæ, \* & locum habitatiônis glóriæ tuæ.

**N**e perdas cum ímpijs **D**EVs ánimam meam, \* & cum viris sanguinum vitam meam.

**I**n quorum mânibus iniquitates sunt: \* dextera eôrum replêta est munéribus.

**E**go autem in innocéntia mea ingressus sum: \* rédime me, & miserêre mei.

**P**es meus stetit in dirécto: \* in ecclésijs benedicam te Dómine.

### ORATIO.

**L**Argîre, Dómine, misericórdiam tuam fámulis supplícibus, vt iniquôrum consórtia fugiéntes, fídelibus tuis in innocéntia pura spiritali semper charitâte iungâ-

iungâmur, atque benedicâtur & glorificêtur nomen tuum Dómine per sæcula. Amen.

## PSALMVS XXVI.

*Quo psallens petit, vt in omni persecutione DEVS se protegat, & dirigat in cælum.*

**D**Ominus illuminatio mea, & salus mea, \* quem timêbo?

**D**Ominus protèctor vitæ meæ, \* à quo trepidâbo?

**D**um appropiant super me nocentes, \* vt edant carnes meas.

**Q**ui tribulât me inimici mei, \* ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

**S**i consistant aduersum me castra, \* non timêbit cor meum.

**S**i exurgat aduersum me praelium, \* in hoc ego sperâbo.

**V**nam pétij à Dño, hanc requiram, \* vt inhábitem in domo Dómini



mini ómnibus diêbus vitæ meæ:

**V**t videam voluptâtem Dómini,\* & vísitem templum eius.

**Q**uóniã abscondit me in tabernáculo suo:\* in die malôrũ protéxit me in abscondito tabernáculo sui.

**I**n petra exaltâuit me:\* & nunc exaltâuit caput meum super inimicos meos.

**C**ircuíui, & immoláui in tabernáculo eius hóstiã vociferatiônis: cantâbo, & psalmum dicam Dño.

**E**xáudi Dómine vocem meam, qua clamáui ad te: \* miserêre mei, & exáudi me.

**T**ibi dixit cor meum, exquisiuit te fácies mea: \* fáciem tuam Dómine requíram.

**N**e auértas fáciem tuam à me: \* ne declínes in ira à seruo tuo.

**A**diûtor meus esto: \* ne derelín-  
quas

quas me, neque despicias me  
 DEVS salutâris meus.

**Q**uóniam pater meus & mater  
 mea dereliquerunt me: \* Dóminus  
 autem assumpsit me.

**L**egem pone mihi Dómine in  
 via tua: \* & dirige me in semitam  
 rectam propter inimicos meos.

**N**e tradideris me in ánimas tri-  
 bulántium me: \* quóniam insurre-  
 xerunt in me testes iníqui, & men-  
 tita est iníquitas sibi.

**C**redo vidêre bona. Dómini\*  
 in terra viuéntium.

**E**xpécta Dóminum, viríliter  
 age: \* & confortêtur cor tuum, &  
 sústine Dóminum.

### ORATIO.

**D**omine protéctor noster, &  
 salus nostra, ne derelinquas,  
 neque despicias nos. Ne contineas  
 in



in ira grátiam tuam, neque auértas  
fáciem tuam à nobis peccatóribus,  
sed exáudi nos, & miserêre nobis,  
dirigéndo nos in viâ Euangélica,  
quæ est sémitta recta, vt tandem vi-  
dêre mereâmur bona Dómini in  
terra viuéntium. Amen.

## PSALMVS XXVII.

*Quo petitur saluatio à morte, inferno  
& inimicis.*

**A**D te Dñe clamâbo, D E V S  
meus ne síleas à me: \* ne-  
quândo táceas à me, & assimilâ-  
bor descendéntibus in lacum.

**E**xáudi Dómine vocem de-  
precatiônis meæ dum oro ad te: \*  
dum extóllo manus meas ad tem-  
plum sanctum tuum.

**N**e simul trahas me cum pec-  
catóribus: \* & cum operántibus  
iniquitâtem ne perdas me:

**Q**ui

**Q**ui loquuntur pacē cū próximo suo,\* mala autē in cōrdibus eōrum.

**D**a illis secūndū op̄era eōrum,\* & secūndū nequitiā adinuentiōnum ipsōrum.

**S**ecūndū op̄era mānuum eōrum tribue illis : \* redde retributiōnem eōrum ipsis.

**Q**uoniam non intellexerunt op̄era Dñi, & in op̄era mānuū eius,\* destrues illos,& non ædificabis eos.

**B**enedictus Dñs : \* quoniam exaudiuit vocem deprecatiōnis meæ.

**D**ominus adiutor meus,& protector meus : \* in ipso sperauit cor meum, & adiutus sum.

**E**t refloruit caro mea : \* & ex voluntate mea confitebor ei.

**D**ominus fortitudo plebis sue : \* & protector saluationum christi sui est.

**S**aluum



**S**aluum fac pópulum tuum  
Dómine, & bédedic hereditáti  
tuæ: & rege eos, & extólle illos vſ-  
que in ætérnum.

## ORATIO.

**E**Xáudi Dñe deprecationē no-  
ſtram, & protéctor noſter adé-  
ſto propítius, qui per crucem tuam  
redemíſti genus humánum, bene-  
dícere dignêris hereditáti tuæ, &  
dirígere in via iuſtítiæ, vt tandem  
ad cæléſtia in ætérnum prouehâ-  
mur. Per Dñm noſtrum IESVM.

## PSALMVS XXVIII.

*Quo petitur efficacia verbi DEI,  
& vt per concionatores conuer-  
tantur impij.*

**A**fférte Dómino filij DEI: \*  
afférte Dño filios aríetum.

**A**fférte Dómino glóriam & ho-  
nórem, afférte Dómino glóriam  
F nómini

nómini eius: \* adorâre Dóminum  
in átrio sancto eius.

**V**ox Dómini, super aquas,  
Deus maieſtâtis intónuit: \* Dómi-  
nus super aquas multas.

**V**ox Dómini in virtûte: \* vox  
Dómini in magnificéntia.

**V**ox Dómini confringéntis ce-  
dros: \* & confrínget Dóminus ce-  
dros Líbani.

**E**t commínuet eas tamquam  
vítulum Líbani: \* & diléctus quem-  
ádmódum fílius vnicórnium.

**V**ox Dómini intercidéntis flam-  
mam ignis: \* vox Dómini concu-  
tiéntis defértum: & commouêbit  
Dóminus defértum Cades.

**V**ox Dómini præparántis cer-  
uos, & reuelâbit condénſa: \* & in  
templo eius omnes dicent glóriam.

**D**óminus dilúuiũ inhabitâre fa-  
cit: \*



cit: \* & sedêbit Dñs Rex in ætérnum.

Dóminus virtutem pópulo suo dabit: \* Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

## O R A T I O.

**D**Eprecâmur súpplíces, vt nos, qui sumus pópulus tuus, benedícere & adiuuâre dignêris, donésque huius sæculi dilúuium fide recta ac conuersatione sancta sic pertransîre, vt ad celéstem pátriam peruenîre valeâmus. Per Dñm.

## P S A L M V S XXIX.

*Quo petitur liberatio à peccato  
& inferno.*

**E**Xaltâbo te Dómine quóniam suscepísti me: \* nec delectásti inimícos meos super me.

Dómine D E V S meus clamáui ad te, \* & sanásti me.

Dómine eduxísti ab inférno

F 2

áni-

ánimam meam: \* saluásti me à descendéntibus in lacum.

**P**állite Dño sancti eius: \* & confitémini memóriæ sanctitátis eius.

**Q**uóniam ira in indignatióne eius, \* & vita in voluntáte eius.

**A**d vésperum demorábitur fletus: \* & ad matutînum lætítia.

**E**go autem dixi in abundántia mea: \* Non mouêbor in ætérnum.

**D**ómine in voluntáte tua, \* præstitísti decóri meo virtûtem.

**A**uertísti fáciem tuam à me, \* & factus sum conturbâtus.

**A**d te Dómine clamâbo: \* & ad DEVM meum deprecâbor.

**Q**uæ vtílitás in ságuine meo: \* dum descéndo in corruptiônem?

**N**umquid confitébitur tibi puluis, \* aut annuntiâbit veritâtem tuam?

**A** udi-



Audiuit Dóminus, & misértus est mei: \* Dóminus factus est adiutor meus.

Conuertísti planctum meum in gáudium mihi: \* cōscidísti saccum meum, & circúdedísti me lætítia:

Vt cantet tibi glória mea, & non compúngar: \* Dómine DEVS meus in ætérnum confitêbor tibi.

## ORATIO.

**E**Xáudi Dómine nos supplíciter deprecántes; salua, sana, & libera nos, conuerténdo in gáudium planctum nostrum, remíssa mole facínorum, atque nos mystério resurrectionis tuæ lætificátos attólle- re dignêris in cælum, pro quibus dignátus es descéndere ad inférnum. Cui cum Patre & Spíritu sancto est honor & glória in sæculorum sæcula.

PSALTERIUM  
PSALMVS XXX.

*Quo in morte constitutus orat, ut  
DEVS spiritum suum suscipiat,  
& à demone protegat.*

**I**N te Dómine speráui, non confundar in ætérnum: \* in iustítia tua líbera me.

**I**nclína ad me aurem tuam, \* accélera vt éruas me.

**E**sto mihi in DEVM protectôrem; & in domum refúgij, \* vt saluum me fácias.

**Q**uóniã fortitúdo mea, & refúgium meû es tu: \* & propter nomen tuum dedúces me, & enútries me.

**E**dúces me de láqueo hoc, quem abscondérunt mihi: \* quóniam tu es protéctor meus.

**I**n manus tuas comméndo spíritum meum: \* redemísti me Dómine DEVS veritátis.

**O**dísti



**O** dísti obseruántes vanitátes,\*  
superuácuè.

**E** go autem in Dómino sperá-  
ui: \* exultábo, & lætabor in mise-  
ricórdia tua.

**Q**uóniam respexísti humilitá-  
tem meam,\* saluásti de necessitáti-  
bus ánimam meam.

**N**ec conclusísti me in mánibus  
inimíci:\* statuísti in loco spatióso  
pedes meos.

**M**iserère mei Dñe, quóniam trí-  
bulor:\* cõturbátus est in ira óculus  
meus, ánima mea, & venter meus:

**Q**uóniam defècit in dolóre vita  
mea:\* & anni mei in gemítibus.

**I**nfirmâta est in paupertáte vir-  
tus mea: \* & ossa mea conturbâta  
sunt.

**S**uper omnes inimícos meos  
factus sum oppróbrium & vicínis

meis valdè: \* & timor notis meis.

**Q**ui vidébant me, foras fugérunt à me: \* obliuioni datus sum, tamquam mórtuus à corde.

**F**actus sum tamquam vas pèditum: \* quóniam audíui vituperatiònem multòrum commorántium in circúitu:

**I**n eo dum conuenírent simul aduérsum me, \* accípere ánimam meam consiliáti sunt.

**E**go autem in te speráui Dómine: \* dixi: D E V S meus es tu: in mánibus tuis sortes meæ.

**E**ripe me de manu inimicòrum meòrum, \* & à persequéntibus me.

**I**llústra fáciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericórdia tua: \* Dómine non confúndar, quóniam inuocáui te.

**E**rubéscant ímpij, & deducántur  
tur



tur in inférnum : \* muta fiant lá-  
bia dolôsa.

**Q**uæ loquúntur aduérſus iu-  
ſtum iniquitâtem, \* in ſupérbia, &  
in abuſiône.

**Q**uàm magna multitúdo dul-  
cédinis tuæ Dómine, \* quam abſ-  
condiſti timéntibus te.

**P**erfecíſti eis, qui ſperant in te, \*  
in conſpéctu filiôrum hóminum.

**A**bſcóndeſ eos in abſcôndito  
faciei tuæ \* à conturbatiône hó-  
minum.

**P**róteges eos in tabernáculo  
tuo \* à contradicţiône linguârum.

**B**enedíctus Dóminus : \* quó-  
niam mirificâuit miſericórdiam  
ſuam mihi in ciuitâte múnita.

**E**go autem dixi in excéſſu men-  
tis meæ : \* Proiectus ſum à fácie  
oculôrum tuôrum.

F 5

I deò

**I** deò exaudísti vocem oratiônis meæ,\* dum clamârem ad te.

**D**iligite Dóminum omnes sancti eius: quóniam veritâtem requîret Dóminus, & retríbuet abundanter faciéntibus supérbiam.

**V**iríliter ágite, & confortétur cor vestrum,\* omnes qui sperâtis in Dómino.

### ORATIO.

**I**N manus tuas commendâmus ánimas nostras Dómine, qui sperâmus in te: líbera nos, & auxiliâre nobis, qui es protéctor noster, & domus refúgij, ne confundâmur in ætérnum. Fac nos spem nostram in te fígere, vt valeâmus ad illam dulcédinem perueníre, quam in cælésti pátria eléctis præparásti, & abscondísti peccatóribus. Per CHRISTVM Dóminum nostrum.

**PSAL-**



## PSALMVS XXXI.

*Quo psallens et pœnitens postulat  
à peccatis liberari.*

**B**Eāti, quorum remissæ sunt  
iniquitates: \* & quorum te-  
sta sunt peccata.

**B**eātus vir, cui non imputauit  
Dóminus peccatum, \* nec est in  
spíritu eius dolus.

**Q**uóniam tãcui, inueteraue-  
runt ossa mea, \* dum clamarem  
tota die.

**Q**uóniam die ac nocte grauata  
est super me manus tua: \* conuér-  
sus sum in ærúmna mea, dum  
confígitur spina.

**D**elictum meum cógnitum ti-  
bi feci: \* & iniustítiam meam  
non abscondi.

**D**ixi: Confitébor aduérsum  
me iniustítiam meam Dómino: \*

&

& tu remisisti impietatem peccati mei.

**P**ro hac orabit ad te omnis sanctus, \* in tempore opportuno.

**V**erumtamen in diluvio aquarum multarum \* ad eum non approximabunt.

**T**u es refugium meum à tribulatione, quæ circumdedit me: \* exultatio mea erue me à circumdantibus me.

**I**ntellèctum tibi dabo, & instruam te in via hac, qua gradièris: \* firmabo super te oculos meos.

**N**olite fieri sicut equus & mulus, \* quibus non est intellèctus.

**I**n camo & fræno maxillas eorum constringe, \* qui non appropinquant ad te.

**M**ulta flagella peccatoris, \* sperantem



rāntem autem in Dōmino misericórdia circúmdabit.

Lætāmini in Dōmino, & exultāte iusti, \* & gloriāmini omnes recti corde.

## ORATIO.

**Q**Væsumus Dōmine, intellētum sapiētiæ nobis tribuere dignēris, atque instrūere armis iustitiæ in via hac qua peregrinatiōnis nostræ, figēdo óculos grātiæ & misericórdiæ super nos pœnitētes, qui confitemur iniustitias nostras, vt obtectis per véniam peccātis, nec imputatis vltrà delictis, sic iustificāti mereāmur Sanctōrum exultatiōnis esse partícipes. Per CHRISTVM Dōminum nostrum.

PSAL-

## PSALMVS XXXII.

*Quo petitur DEI timor, cultus  
et spes.*

**E**Xultate iusti in Dómino: \*  
rectos decet collaudatio.

**C**onfitemini Dómino in cí-  
thara: \* in psalterio decem chor-  
dârum psallite illi.

**C**antate ei canticum nouum: \*  
benè psallite ei in vociferatiône.

**Q**uia rectum est verbum Dó-  
mini, \* & ómnia ópera eius in fide.

**D**íligit misericórdiam & iudí-  
cium: \* misericórdia Dómini ple-  
na est terra.

**V**erbo Dómini cæli firmáti  
sunt: \* & spíritu oris eius omnis  
virtus eórum.

**C**ongregans sicut in vtre aquas  
maris: \* ponens in thesáuris abyssos.

**T**ímeat Dóminum omnis ter-  
ra: \*



ra: \* ab eo autem commoucantur  
omnes inhabitantes orbem.

**Q**uonia ipse dixit, & facta sunt: \*  
ipse mandauit, & creata sunt.

**D**ominus dissipat consilia Gen-  
tium: \* reprobat autem cogitatio-  
nes populorum, & reprobat consi-  
lia principum.

**C**onsilium autem Domini in  
aternum manet: \* cogitationes cordis  
eius in generatione & generatione.

**B**eata gens, cuius est Dominus  
Deus eius: \* populus, quem elegit  
in hereditatem sibi.

**D**e caelo respexit Dominus: \* vi-  
dit omnes filios hominum.

**D**e preparato habitaculo suo \*  
respexit super omnes, qui habitant  
terram.

**Q**ui finxit singillatim corda eo-  
rum: \* qui intelligit omnia opera eorum.

**N**on

**N**on saluâtur rex per multam virtutem: \* & gigas non saluâbitur in multitudine virtutis suæ.

**F**allax equus ad salutem: \* in abundantia autem virtutis suæ non saluâbitur.

**E**cce óculi Dómini super metuentes eum: \* & in eis, qui sperant super misericórdia eius.

**V**t éruat à morte ánimas eorum: \* & alat eos in fame.

**A**nima nostra sústinet Dóminum: \* quóniam adiutor & protector noster est.

**Q**uia in eo lætâbitur cor nostrum: \* & in nómine sancto eius speráuimus.

**F**iat misericórdia tua Dómine super nos: \* quemádmódum speráuimus in te.

ORA-



DAVIDIS.  
ORATIO.

27

**D**omine DEVS noster, cuius misericórdia plena est terra, qui dixísti, & facta sunt, qui mandásti, & creâta sunt: réspice nos peccatóres óculis grátiae de cælésti tuo habitáculo, vt ómnibus misereâris. Pasce nos pane cælésti, vt saturêmur verbo tuo, qui hîc famêscimus in via peregrinatiônis nostræ, quemádmodum sperâmus in te IESV CHRISTO Dómino nostro.

PSALMVS XXXIII.

*Quo petitur cognitio diuina bonitatis,  
eiusdemque gustus, timor & cultus.*

**B**enedîcam Dóminum in omni témpore: \* semper laus eius in ore meo.

In Dómino laudábitur ánima mea: \* áudiât mansuêti, & læténtur.

G

Magni-

**M**agnificâte Dóminum me-  
cum: \* & exaltêmus nomen eius in  
idípsum.

**E**xquisiui Dóminum, & exau-  
diuit me: \* & ex ómnibus tribula-  
tiónibus meis erípuit me.

**A**ccédite ad eum, & illuminá-  
mini: \* & fácies vestræ non confun-  
déntur.

**I**ste pauper clamâuit, & Dómi-  
nus exaudiuit eum: \* & de ómnibus  
tribulatióibus eius saluâuit eum.

**I**mmíttet Angelus Dñi in circú-  
itu tíméntium eum: \* & erípiet eos.

**G**ustâte, & vidête quóniam suâ-  
uis est Dóminus: \* beâtus vir qui  
sperat in eo.

**T**imête Dóminum omnes fan-  
cti eius: \* quóniam non est inópia  
tíméntibus eum.

**D**íuites eguérunt & esuriérunt: \*  
inqui-



inquirentes autem Dóminum non minuéntur omni bono.

**V**eníte filij, audíte me: \* timórem Dómini docêbo vos.

**Q**uis est homo qui vult vitam: \* díligit dies vidêre bonos?

**P**róhibe linguam tuam à malo: \* & lábia tua ne loquántur dolum.

**D**iuérte à malo, & fac bonum: \* inquîre pacem, & persequere eam.

**O**culi Dómini super iustos: \* & aures eius in preces eórum.

**V**ultus autem Dómini super faciéntes mala: \* vt perdat de terra memóriam eórum.

**C**lamauérunt iusti, & Dóminus exaudíuit eos: \* & ex ómnibus tribulatióibus eórum liberáuit eos.

**I**uxtà est Dóminus iis, qui tribuláto sunt corde: \* & húmiles spíritu saluábit.

G 2

M ultæ

**M**ultæ tribulatiões iustõrum: \*  
& de omnibus his liberâbit eos  
Dóminus.

**C**ustôdit Dóminus omnia ossa  
eõrum: \* vnum ex his non conte-  
rêtur.

**M**ors peccatõrum péssima: \* &  
qui odérunt iustum, delínquent.

**R**édimet Dóminus ánimas ser-  
uõrum suõrum: \* & non delín-  
quent omnes qui sperant in eo.

ORATIO.

**I**lluminêmur quæsumus nos lú-  
mine grátia tuæ, vt hîc gustê-  
mus & intelligâmus, quàm suâuis  
sis, Dómine, in misericórdia tua  
sperántibus in te. Et emítte Ange-  
lum tuum in circúitu nostro, cuius  
præsídio muníti, ab omni impu-  
gnatiõe dæmonum, & morte pec-  
catõrum péssima liberêmur.

PSAL-



## PSALMVS XXXIV.

*Quo petitur liberatio ab hostibus visibilibus & inuisibilibus.*

**I**udica Dómine nocentes me: \*  
expugna impugnantes me.

**A**pprehende arma & scutum: \*  
& exurge in adiutórium mihi.

**E**ffunde frámeam, & conclûde aduersus eos, qui persequúntur me: \* dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum.

**C**onfundántur & reuereántur, \*  
quærentes ánimam meam.

**A**uertántur retrórsim, & confundántur \* cogitantes mihi mala.

**F**iant tamquam puluis ante fáciem venti: \* & Angelus Dómini coárctans eos.

**F**iat via illórum ténebræ & lúbricum: \* & Angelus Dómini persequens eos.

G 3

Quó-

**Q**uóniam gratis abscondérunt  
mihi intéritū láquei sui: \* superuá-  
cuè exprobrauerunt ánimā meam.

**V**éniait illi láqueus, quem ignô-  
rat:& cáptio, quam abscondit, ap-  
prehéndat eum: \* & in láqueum ca-  
dat in ipsum.

**A**nima autem mea exultábit in  
Dómino: \* & delectábitur super  
salutári suo.

**O**mnia ossa mea dicent: \* Dó-  
mine, quis símilis tibi?

**E**rípiens ínopem de manu for-  
tiôrum eius: \* egênum & páuperem  
à diripiéntibus eum.

**S**urgéntes testes iníqui, \* quæ  
ignorábam, interrogábant me.

**R**etribuébant mihi mala pro  
bonis: \* sterilitátem ánimæ meæ.

**E**go autem cùm mihi moléstí  
essent, \* induêbar cilício.

**H**umi-



**H**umiliâbam in ieiûnio ânimam meam : \* & oratio mea in sinu meo conuertetur.

**Q**uasi primum, & quasi fratrem nostrum, sic complacêbam : \* quasi lugens & contristatus sic humiliâbar.

**E**t aduersum me lætati sunt, & conuenérunt : \* congregata sunt super me flagella, & ignorâui.

**D**issipati sunt, nec compuncti, tentauérunt me, subsannauérunt me subsannatione : \* frenduérunt super me dentibus suis.

**D**ómine quâdo respicies ? \* restitue ânimam meam à malignitate eorum, à leónibus unicam meam.

**C**onfitêbor tibi in Ecclesia magna, \* in pópulo graui laudâbo te.

**N**on supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè : \* qui

G 4

odérunt

odérunt me gratis, & annuunt  
óculis.

**Q**uóniam mihi quidem pacífi-  
cè loquebántur: \* & in iracúndia  
terræ loquéntes, dolos cogitábant.

**E**t dilatauérunt super me os  
suum: \* dixerunt: Euge, euge, vidé-  
runt óculi nōstri.

**V**idísti Dómine, ne síleas: \* Dó-  
mine ne discédas à me.

**E**xúrge & inténde iudício meo: \*  
DEVS meus & Dóminus meus in  
causam meam.

**I**údica me secúndum iustítiam  
tuam Dómine DEVS meus, \* & non  
supergáudeant mihi.

**N**on dicant in córdibus suis:  
Euge, euge, ánimæ nostræ: \* nec di-  
cant: Deuoráuimus eum.

**E**rubéscant & reuereántur si-  
mul, \* qui gratulántur malis meis.

**I**nduán-



**I**nduántur confusiõe & reuerentia \* qui magna loquúntur super me.

**E**xúltent & læténtur qui volunt iustítiam meam: \* & dicant semper: Magnificêtur Dóminus, qui volunt pacem serui eius.

**E**t lingua mea meditábitur iustítiam tuam, \* tota die laudem tuam.

## ORATIO.

**P**Ræstò sit tuum diuînum auxili-  
lium, Dómine, in persecutiõe  
impugnántium nos; quóniam vni-  
ca salus nostra tu es, quis enim sí-  
milis tibi? quocírcà ánima nostra  
delectábitur semper, & exultábit in  
salutári nostro IESV CHRISTO,  
qui humiliáuit semetípsum vsque  
ad mortem crucis, delens chiró-  
graphum peccáti. Protécti ergo

G 5 scuto

scuto inexpugnabilis iustitiæ tuæ,  
mereamur cum diligéntibus te læ-  
titia & exultatiône æterna perfún-  
di. Per eúndem Dóminum no-  
strum I E S V M C H R I S T V M Fí-  
lium tuum : Qui tecum viuit.

PSALMVS XXXV.

*Quo petitur, ut anima misericordia  
bonisq̃ue DEI inebrietur híc, &  
in celo magis.*

**D**ixit iniústus vt delínquat in  
femetípso: \* non est timor  
DEI ante óculos eius.

**Q**uóniam dolósè egit in con-  
spéctu eius: \* vt inueniâtur iníqui-  
tas eius ad ódium.

**V**erba oris eius iníquitas, & do-  
lus: \* nóluit intelligere, vt bene  
ágeret.

**I**niquitâtem meditâtus est in  
cubíli suo: \* ástitit omni viæ  
non



non bonæ , malitiam autem non  
odiuit.

**D**ómine in cælo misericórdia  
tua : \* & véritas tua vsque ad  
nubes.

**I**ustitia tua sicut montes DEI : \*  
iudicia tua abyssus multa.

**H**ómines , & iuménta saluâ-  
bis Dómine : \* quemádmódum  
multiplicásti misericórdiam tuam  
DEVS.

**F**ílij autem hóminum , \* in  
tégmine alârum tuârum sperá-  
bunt.

**I**nebriabúntur ab vbertâte do-  
mus tuæ : \* & torrénte voluptâtis  
tuæ potâbis eos.

**Q**uóniam apud te est fons vi-  
tæ : \* & in lúmine tuo vidébimus  
lumen.

**P**ræténde misericórdiam tuam  
scién-

sciéntibus te, \* & iustítiam tuam  
his, qui recto sunt corde.

**N**on véniat mihi pes supér-  
biæ: \* & manus peccatôris non  
móueat me.

**I**bi cecidérunt qui operántur  
iniquitâtem: \* expúlsi sunt, nec po-  
tuérunt stare.

**O R A T I O.**

**D**EVS, fons vitæ, & orígo óm-  
nium bonôrum, multíplica  
super nos misericórdiam tuam; vt  
inebriáti vbertâte gratiârum tuâ-  
rum, omnem iniquitâtem, dolum,  
supérbiam abdicemus: & nos sa-  
crofánci nóminis tui cognitióne  
illuminátos, regno tuo dignos ef-  
ficias, in fruitiône æternitâtis. Per  
CHRISTVM Dóminum nostrum.  
Amen.

**PSAL-**



## PSALMVS XXXVI.

*Quo petit anima, ne impiorum vitam imitetur, cum eos videt prosperari.*

**N**Oli æmulári in malignántibus: \* neque zeláueris faciéntes iniquitâtem.

**Q**uóniam tamquam fœnum velóciter aréscet: \* & quemádmodum ólera herbârum citò décidét.

**S**pera in Dómino, & fac bonitâtem: \* & inhábita terram, & pascêris in diuítiis eius.

**D**electâre in Dómino: \* & dabit tibi petitiónes cordis tui.

**R**euéla Dómino viam tuam, & spera in eo: \* & ipse faciet.

**E**t edûcet quasi lumen iustíam tuam, & iudícium tuum tamquam merídiem: \* súbditus esto Dómino, & ora eum.

**N**oli æmulári in eo qui prosperatúr

râtur in via sua: \* in hómine faciēte iniustitias.

**D**ésine ab ira, & derelínque furóre: \* noli æmulári vt malignêris.

**Q**uóniam qui malignántur, exterminabúntur: \* sustinéntes autem Dóminum, ipsi hereditábunt terram.

**E**t adhuc pusíllum, & non erit peccâtor: \* & quæres locum eius, & non inuénies.

**M**ansuéti autem hereditábunt terram, \* & delectabúntur in multítudine pacis.

**O**bseruâbit peccâtor iustum: \* & stridêbit super eum déntibus suis.

**D**óminus autem irridêbit eum: \* quóniam próspectit quòd véniet dies eius.

**G**ládiū euaginouérunt peccatóres: \*



tóres: \* intendérunt arcum suum.

**V**t deiciant páuperem & ínopem: \* vt trucident rectos corde.

**G**ladius eórum intret in corda ipsórum: \* & arcus eórum confringâtur.

**M**élius est módicum iusto, \* super diuítias peccatórum multas.

**Q**uóniam bráchia peccatórum conteréntur: \* confirmat autem iustos Dóminus.

**N**ouit Dóminus dies immaculatórum: \* & heréditas eórum in ætérnum erit.

**N**on confundéntur in témpore malo, & in diébus famis saturabúntur: \* quia peccatóres peribunt.

**I**nimíci verò Dómini mox vt honorificáti fúerint & exaltáti: \* deficientes, quemádmódum fumus defícient.

**M**utuá-

**M**utuabitur peccator, & non soluet: \* iustus autem miseretur, & tribuet.

**Q**uia benedicentes ei hereditabunt terram; \* maledicentes autem ei disperibunt.

**A**pod Dóminum gressus hóminis dirigentur: \* & viam eius volet.

**C**um ceciderit, non collidetur: \* quia Dñs supponit manum suam.

**I**unior fui, etenim senui: \* & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

**T**ota die miseretur & commodat: \* & semen illius in benedictione erit.

**D**ecлина à malo, & fac bonum: \* & inhabita in sæculum sæculi.

**Q**uia Dóminus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: \* in ætérnum conseruabuntur.

**I**niusti



**I**niústi puniéntur: \* & semen  
impiôrum peribit.

**I**usti autem hereditábunt ter-  
ram: \* & inhabitábunt in sæculum  
sæculi super eam.

**O**s iusti. meditábitur sapién-  
tiam: \* & lingua eius loquétur iu-  
dícium.

**L**ex DEI eius in corde ipsius: \* &  
non supplantabúntur gressus eius.

**C**onsiderat peccátor iustum: \*  
& quærit mortificâre eum.

**D**óminus autem non derelin-  
quet eum in mânibus eius: \* nec  
damnâbit eū cū iudicábitur illi.

**E**xpécta Dóminum, & custódi  
viam eius: & exaltâbit te, vt here-  
ditâte cápias terram: \* cū perie-  
rint peccatóres vidêbis.

**V**idi ímpium superexaltâtum,\*  
& eleuâtum sicut cedros Líbani.

**H**

**E**t

**E**t transíui, & ecce non erat: \* & quæsíui eum, & non est inuéntus locus eius.

**C**ustódi innocentiam, & vide æquitâtem: \* quóniam sunt reliquiae hómini pacífico.

**I**niústi autē disperíbunt simul: \* reliquiae impiôrum interíbunt.

**S**alus autem iustôrum à Dómino: \* & protéctor eôrum in tēpore tribulatiônis.

**E**t adiuuâbit eos Dóminus, & liberâbit eos: \* & éruet eos à peccatoribus, & saluâbit eos: quia sperauerunt in eo.

### ORATIO.

**O**Mnípotens DEVS, salus, protéctio, & liberátio nostra, concède petitiónes cordis nostri, qui delectâmur & sperâmus in te Dómine: dirige gressus nostros in bonum,



num, & cū ceciderimus in peccatum, porridge dēxteram cadentibus cum auxilio grātiae & misericordiāe tuāe, ne collidāmur in intēritum, ne confundāmur in tēpore malo, ne dispereāmus cum impijs, sed hereditātem iustōrum in terra viuētiū fortiāmur. Per Dōminum nostrum.

## PSALMVS XXXVII.

*Quo petitur remissio peccatorum.*

**D**omine, ne in furōre tuo arguas me, \* neque in ira tua corrīpias me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi: \* & confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea à facie irae tuae: \* non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae su-

H 2

per-

pergréssæ sunt caput meū: \* & sicut  
onus graue grauata sunt super me.

**P**utruerunt, & corruptæ sunt  
cicatrices meæ, \* à facie insipientiæ  
meæ.

**M**iser factus sum, & curuatus  
sum vsque in finem: \* tota die con-  
tristatus ingrediëbar.

**Q**uoniam lumbi mei implèti  
sunt illusionibus: \* & non est fani-  
tas in carne mea.

**A**fflictus sum, & humiliatus  
sum nimis: \* rugiëbam à gemitu  
cordis mei.

**D**omine, ante te omne desidé-  
rium meum: \* & gemitus meus à te  
non est absconditus.

**C**or meum conturbatum est,  
dereliquit me virtus mea: \* & lu-  
men oculorum meorum, & ipsum  
non est mecum.

**A**mici



**A**míci mei, & próximi mei \* ad-  
uérsum me appropinquauérunt,  
& steterunt.

**E**t qui iuxta me erant, de longè  
steterunt: \* & vim faciébant qui  
quærébant ánimam meam.

**E**t qui inquirébant mala mihi,  
locúti sunt vanitátes: \* & dolos tota  
die meditabántur.

**E**go autem tamquam surdus  
non audiēbam: \* & sicut mutus  
non apériens os suum.

**E**t factus sum sicut homo non  
áudiens: \* & non habens in ore suo  
redargutiónes.

**Q**uóniam in te Dñe speráui: \* tu  
exáudies me Dómine DEVS meus.

**Q**uia dixi: Nequándo supergáu-  
deant mihi inimíci mei: \* & dum  
commouéntur pedes mei, super  
me magna locúti sunt.

H 3

**Q**uó-

**Q**uóniam ego in flagélla parâ-  
tus sum: \* & dolor meus in conspé-  
ctu meo semper.

**Q**uóniam iniquitâtem meam  
annuntiâbo: \* & cogitâbo pro pec-  
câto meo.

**I**nimíci autem mei viuunt, &  
cōfirmâti sunt super me: \* & multi-  
plicâti sunt qui odérunt me iníquè.

**Q**ui retríbunt mala pro bonis,  
detrahébant mihi: \* quóniam se-  
quêbar bonitâtem.

**N**e derelínquas me Dómine  
DEVS meus: \* ne discésseris à me.

**I**nténde in adiutórium meum,\*  
Dómine DEVS salûtis meæ.

### ORATIO.

**D**omine ne in furóre tuo ex-  
candescénti árguas nos, cum  
réprobis in ætérnum damnádo.  
Cognóscimus culpam, precâmur  
véniam,



veniam, reminiscéntia peccatôrum  
nos affligit, cor conturbátum est,  
non est sanitas in carne nostra; ne  
derelinquas nos Dómine DEVS  
noster, ne subtrahas grátiam tuam  
à nobis, sed inténde in adiutórium  
nostrum auctor salútis nostræ IE-  
SV CHRISTE, qui es benedíctus  
in sæcula sæculôrum. Amen.

## PSALMVS XXXVIII.

*Quo. petitur agnitio vanitatis &  
breuitatis huius vite.*

**D**Ixi: Custódiam vias meas: \*  
vt non delínquam in lingua  
mea.

**P**ósui ori meo custódiam, \* cùm  
consisteret peccâtor aduersum me.

**O**bmútui, & humiliâtus sum,  
& sîlui à bonis: \* & dolor meus re-  
nouâtus est.

**C**oncáluit cor meum intra me: \*

H 4

&amp;

& in meditatiōe mea exardēscet  
ignis.

**L**ocūtus sum in lingua mea: \*  
Notum fac mihi Dómine finem  
meum,

**E**t númerum diērum meōrum  
quis est: \* vt sciam quid desit mihi.

**E**cce mensurábiles posuísti dies  
meos: \* & substántia mea tam-  
quam níhilum ante te.

**V**erúmtamen vniuersa vānitas, \*  
omnis homo viuens.

**V**erúmtamen in imágine per-  
trānsit homo: \* sed & frustrā con-  
turbâtur.

**T**hesaurizat: \* & ignôrat cui  
congregâbit ea.

**E**t nunc quæ est expectatio  
mea? nōne Dóminus? \* & substán-  
tia mea apud te est.

**A**b ómnibus iniquitatibus meis  
érue



érue me: \* oppróbrium insipienti  
dedísti me.

**O**bmútui, & non apérui os  
meum, quóniam tu fecísti: \* ámo-  
ue à me plagas tuas.

**A**fortitúdine manus tuæ ego  
defeci in increpationibus: \* propter  
iniquitatem corripuísti hóminem.

**E**t tabéscere fecísti sicut ará-  
neam ánimam eius: \* verúm tamen  
vanè conturbâtur omnis homo.

**E**xáudi orationem meam Dó-  
mine, & deprecationem meam: \*  
áuribus pércipe lácrymas meas.

**N**e síleas: quóniam áduena ego  
sum apud te, & peregrínus, \* sicut  
omnes patres mei.

**R**emítte mihi, vt refrígerer  
priúsquam ábeam, \* & ámplius  
non ero.

H s

ORA-

## ORATIO.

**P**One Dómine custódiam ori  
nostro, vt non delinquâmus in  
lingua. Ab ómnibus iniquitatibus  
líbera nos, & córripe nos, sic tamen  
vt non deficiâmus in increpationi-  
bus. Notum fac nobis finem no-  
strum, vt cognoscâmus, quid desit  
in emendatióne vitæ. Ne differas  
auxiliári, quia áduenæ sumus &  
peregríni, sicut omnes patres no-  
stri. Subínde thesaurizêmus ea in  
hoc sæculo, quæ te tribuente ca-  
piêmus in futuro. Per CHRISTVM  
Dóminum nostrum.

## PSALMVS XXXIX.

*Quo petitur liberatio à tribulatione  
& persecutiōe hostium.*

**E**Xpéctans expectáui Dómi-  
num, \* & inténdit mihi.  
**E**t exaudíuit preces meas : \* &  
edúxit



edúxit me de lacu misériae, & de luto fæcis.

**E**t statuit super petram pedes meos: \* & diréxit gressus meos.

**E**t immisit in os meum canticum nouum, \* carmen D E O nostro.

**V**idébunt multi & timébunt: \* & sperábunt in Dómino.

**B**eatus vir, cuius est nomen Dómini spes eius: \* & non respéxit in vanitates & insánias falsas.

**M**ulta fecisti tu Dómine DEVS meus mirabilia tua: \* & cogitationibus tuis non est qui símilis sit tibi.

**A**nnuntiáui, & locutus sum: \* multiplicati sunt super númerum.

**S**acrificium & oblationem nolúisti: \* aures autem perfecisti mihi.

**H**olocáustum & pro peccato  
non

non postulásti: \* tunc dixi: Ecce  
vénio.

**I**n cápite libri scriptum est de  
me, vt fácerem voluntâtem tuam: \*  
DEVS meus vólui, & legem tuam  
in médio cordis mei.

**A**nnuntiáui iustítiam tuam in  
eccléſia magna, \* ecce lábia mea  
non prohibêbo: Dómine tu ſciſti.

**I**ustítiam tuam non abſcón-  
di in corde meo: \* veritâtem tuam &  
ſalutâre tuum dixi.

**N**on abſcón-  
di miſericórdiam  
tuam, & veritâtem tuam \* à concí-  
lio multo.

**T**u autem Dómine ne longè  
fácias miſerationes tuas à me: \*  
miſericórdia tua & véritas tua  
ſemper ſuſcepérunt me.

**Q**uóniam circumdedérunt me  
malâ, quorum non eſt númerus: \*

com-



comprehendérunt me iniquitátes  
meæ, & non pótui vt vidêrem.

**M**ultiplicatæ sunt super capíl-  
los cápitis mei: \* & cor meum de-  
relîquit me.

**C**ompláceat tibi Dómine vt  
éruas me: \* Dómine ad adiuuán-  
dum me réspice.

**C**onfundántur & reuereántur  
simul, qui quærunt ánimã meam,\*  
vt áuferant eam.

**C**onuertántur retrórsum, &  
reuereántur \* qui volunt mihi  
mala.

**F**erant conféstim confusiônem  
suam, \* qui dicunt mihi: Euge,  
euge.

**E**xúltent & læténtur super te  
omnes quæréntes te: \* & dicant  
semper: Magnificêtur Dóminus,  
qui díligunt salutâre tuum.

**E**go

**E**go autem mendicus sum, & pauper: \* Dóminus sollicitus est mei.

**A**diutor meus, & protector meus tu es: \* D E V S meus ne tardáueris.

## O R A T I O.

**E**Xáudi preces nostras Dómine, & educ nos de lacu misériae, infidelitátis, & ignorántiæ, atque de luto carnâlis concupiscéntiæ, ne respiciâmus in vanitâtes & insánias falsas: sed dirige per legem Euan-gélicam gressus nostros ad beatitú-dinem ætérnam. Et misericórdia tua suscípiat nos, cùm multiplicatæ sunt iniquitâtes super capillos cá-pitis nostri. Ad adiuuándum nos réspice, ne tardáueris adiutor & protector noster, qui es benedíctus in sæcula sæculórum. Amen.

PSAL-



## PSALMVS XL.

*Quo petitur liberatio à fictis amicis  
& proditoribus.*

**B**Eātus qui intēlligit super egē-  
num & páuperem : \* in die  
mala liberābit eum Dóminus.

Dóminus conféruct eum, & vi-  
uíficet eum, & beātum fáciat eum  
in terra : \* & non tradat eum in áni-  
mam inimicōrum eius.

Dóminus opem ferat illi super  
lectum dolōris eius : \* vniuersum  
stratum eius versásti in infirmitā-  
te eius.

Ego dixi : Dómine miserēre  
mei : \* sana ánimam meam, quia  
peccáui tibi.

I nimíci mei dixérunt mala mi-  
hi : \* Quando moriētur, & peribit  
nomen eius?

Et si ingrediebātur vt vidēret,  
vana

vana loquebâtur, \* cor eius congregauit iniquitatem sibi.

**E**grediebâtur foras, \* & loquebâtur in idîpsum.

**A**duersum me susurrabant omnes inimici mei: \* aduersum me cogitabant mala mihi.

**V**erbum iniquum constituerunt aduersum me. \* Numquid qui dormit, non adiiciet vt resurgat?

**E**tenim homo pacis meæ, in quo speraui: \* qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

**T**u autem Dómine miserere mei, & resuscita me: \* & retribuem eis.

**I**n hoc cognoui, quóniam voluisti me: \* quóniam non gaudêbit inimicus meus super me.

**M**e



**M**e autem propter innocentiam suscepisti: \* & confirmasti me in conspectu tuo in ætèrnum.

**B**enedictus Dóminus DEVS Israël à sæculo, & vsque in sæculum: \* fiat, fiat.

## ORATIO.

**L**ibera nos Dómine, conférva & viuífica nos, sana ánimas nostras, & miserere nobis, quia peccáuimus tibi. Opem nobis feras in hac carne frágili contra insúltus dæmonum, nequándo gáudeant inimíci super nos. Sit benedíctio tua super nos, vt dùm carnália delícta cleménter árguis, nobis véniam placátus largiâris. Per CHRISTVM Dóminum nostrum.

*Quo excitatur anima, ut ex hoc exilio & ærumna suspiret ad DEVM & celum.*

**Q**uemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum: \* ita desiderat anima mea ad te DEVS.

**S**itituit anima mea ad DEVM fortem viuum: \* quando veniam & apparebo ante faciem DEI?

**F**uerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: \* dum dicitur mihi quotidie: Vbi est DEVS tuus?

**H**æc recordatus sum, & effudi in me animam meam: \* quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum DEI.

**I**n voce exultationis, & confessionis: \* sonus epulantis.

**Q**uare tristis es anima mea: \* & quare conturbas me?

**S**pera



**S**pera in DEO, quóniam adhuc  
confitêbor illi: \* salutâre vultus mei,  
& DEVS meus.

**A**d meípsum ánima mea con-  
turbâta est: \* proptéreà memor ero  
tui de terra Iordánis, & Hermó-  
nijm à monte módico.

**A**byssus abyssum ínuocat, \* in  
voce cataractârum tuârum.

**O**mnia excélsa tua, & fluctus  
tui \* super me transierunt.

**I**n die mandâuit Dñs misericór-  
diam suâ: \* & nocte canticum eius.

**A**pud me oratio DEO vitæ meæ,\*  
dicam DEO: Suscéptor meus es.

**Q**uare oblîtus es mei? \* & quare  
contristâtus incêdo, dum afflîgit  
me inimîcus?

**D**um confringúntur ossa mea,\*  
exprobrauerunt mihi qui tribu-  
lant me inimíci mei.

**D**um dicunt mihi per singulos dies : Vbi est DEVS tuus ? \* quare tristis es ánima mea ? & quare contúrbas me ?

**S**pera in DEO , quóniam adhuc confitêbor illi : \* salutâre vultus mei , & DEVS meus.

## O R A T I O .

**S**Aluâtor IESV CHRISTE , qui es verus DEVS & homo , effúndimus ánimas nostras in voce exultatiônis ad te DEVM fontem viuum omnis grátia & misericórdia : abyssus miséria inuocat abyssum misericórdia , vt à peccatôrum fæce nos purificâre dignêris ; & quando finiêtur peregrinatio nostra , appareâmus præsentés in glória ætérna , ante fáciem tuam IESV CHRISTE , qui es benedíctus in sæcula . Amen .

PSAL-



## PSALMVS XLII.

*Quo in Missæ Introitu psallens postulat, ut scrupulis omniq̃ue demonum infestatione liberetur, & letus ad sacra accedat.*

**I** Vdica me DEVS, & discerne causam meam de gente non sancta,\* ab homine iniquo & doloſo erue me.

**Q**uia tu es DEVS fortitudo mea:\* quare me repulisti? & quare tristis incêdo, dum affligit me inimicus?

**E** mitte lucem tuam & veritatem tuam:\* ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.

**E**t introibo ad altare DEI:\* ad DEVM, qui lætificat iuventutem meam.

**C**onfitêbor tibi in cithara DEVS

I 3

DEVS

DEVS meus: \* quare tristis es ánima mea, & quare contúrbas me?

**S**pera in DEO, quóniam adhuc confitêbor illi: \* salutâre vultus mei, & DEVS meus.

## ORATIO.

**O**Mnípotens DEVS, fortitúdo vita, & salus nostra, emítte lucem tuam diuînam in nobis, & aufer ténebras cordis nostri, doce veritâtem, & aufer errôrem; vt introëúntes ad altâre DEI; nosmet exhibeâmus in hóstiâ viuéntem, placéntem DEO, tibi semper confiténtes, te laudántes, atque in te sperántes, qui es aspéctus ánimæ nostræ, DEVS noster IESVS CHRISTVS benedíctus in sæcula. Amen.

PSAL-



## PSALMVS XLIII.

*Quo oratur pro Ecclesia, à Turcis,  
hæreticis, & tyrannis afflictæ.*

**D**EVS auribus nostris audiui-  
mus: \* patres nostri annun-  
tiauerunt nobis,

**O**pus, quod operatus es in diē-  
bus eorum: \* & in diēbus antiquis.

**M**anus tua gentes disperdidit,  
& plantasti eos: \* afflixisti populos,  
& expulisti eos:

**N**ec enim in gladio suo posse-  
derunt terram, \* & brachium eor-  
um non saluauit eos:

**S**ed dextera tua, & brachium  
tuum & illuminatio vultus tui: \*  
quoniam complacuisti in eis.

**T**u es ipse Rex meus & DEVS  
meus: \* qui mandas salutes Iacob.

**I**n te inimicos nostros ventilá-  
bimus cornu, \* & in nómine tuo

spernemus insurgentes in nobis.

**N**onenim in arcu meo sperabo:  
& gladius meus non saluabit me.

**S**aluasti enim nos de affligentibus  
nos: \* & odientes nos confundisti.

**I**n DEO laudabimur tota die:  
& in nomine tuo confitebimur in  
saeculum.

**N**unc autem repulisti & con-  
fundisti nos: \* & non egrediêris  
DEVS in virtutibus nostris.

**A**uertisti nos retrorsum post  
inimicos nostros: \* & qui oderunt  
nos, diripiébant sibi.

**D**edisti nos tamquam oves escâ-  
rum: \* & in Gētibus dispersisti nos.

**V**endidisti pópulum tuum sine  
prétio: \* & non fuit multitúdo in  
commutationibus eorum.

**P**osuísti nos oppróbrium vicinis  
nostris: \* subsannationem & deri-  
sum



sum his qui sunt in circūitu nostro.

**P**osuísti nos in similitudinem  
Géntibus: \* commotiōnem cápitis  
in pópulis.

**T**ota die verecúndia mea con-  
tra me est, \* & confúsiō faciēi meæ  
coopérui me.

**A** voce exprobrántis, & oblo-  
quéntis: \* à faciē inimíci, & per-  
sequéntis.

**H**æc ómnia venérunt super nos,  
nec oblíti sumus te: \* & iníquē non  
égimus in testaménto tuo.

**E**t non recéssit retrò cor no-  
strum: \* & declinásti sēmitas no-  
stras à via tua:

**Q**uóniam humiliásti nos in lo-  
co afflictiónis, \* & coopérui nos  
ymbra mortis.

**S**i oblíti sumus nomen **D E I**  
nostri, \* & si expándimus ma-  
nus:

nus nostras ad deum aliënum;

**N**ónne **D**EVs requîret ista? \*  
ipse enim nouit abscondita cordis.

**Q**uóniam propter te mortificâ-  
mur tora die : \* æstimâti sumus  
sicut oues occisiõnis.

**E**xúrge, quare obdórmis **D**ómi-  
ne? exúrge, & ne repéllas in finem.

**Q**uare fáciem tuam auértis, \*  
obliuísceſis inópia nostræ & tri-  
bulatiõnis nostræ?

**Q**uóniam humiliâta est in púl-  
uere ánima nostra: \* conglutinâtus  
est in terra venter noster.

**E**xúrge **D**ómine, ádiuua nos: \* &  
rédime nos propter nomen tuum.

**O R A T I O.**

**R**Ex noster quem cólimus,  
**D**EVs noster quem adorâ-  
mus, exúrge in auxílium nostrum,  
& érue nos ab oppróbriis vitiõrum,  
libera



libera de affligentibus nos propter  
nomen sanctum tuum; quatenus  
ab hostibus mentis & corporis li-  
berati, peruenire valeamus securi  
ad te, qui es laus & gloria nostra,  
benedictus in sæcula. Amen.

## PSALMVS XLIV.

*Quo postulatur vt omnes gentes &  
populi Christo & Ecclesiæ se subijciāt.*

**E**Ructauit cor meum ver-  
bum bonum: dico ego ope-  
ra mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ,  
velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis ho-  
minum, diffusa est gratia in labiis  
tuis: propterea benedixit te DEVS  
in æternum.

Accingere gladio tuo super fe-  
mur tuum, potentissime,

Specie tua & pulchritudine  
tua

tua \* inténde , prósperè procède,  
& regna,

**P**ropter veritatem & mansuetudinem, & iustitiam: \* & deducet te mirabiliter dextera tua.

**S**agittæ tuæ acutæ, pópuli sub te cadent, \* in corda inimicórú Regis.

**S**edes tua **D E V S** in sæculum sæculi: \* virga directiõnis virga regni tui.

**D**ilexísti iustitiam , & odísti iniquitatem: \* propterea vnxit te **D E V S** **D E V S** tuus óleo lætitiæ præ consortibus tuis.

**M**yrrrha, & gutta, & cáfia à vestimentis tuis , à dómibus ebúrneis: \* ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honóre tuo.

**A**stitit regína à dextris tuis in vestitu deaurato, \* circúmdata varietate.

**A**udi



**A**udi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.

**E**t concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

**E**t filia Tyri in muneribus \* vultum tuum deprecabuntur, omnes diuites plebis.

**O**mnis gloria eius filia Regis ab intus, \* in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.

**A**dducuntur Regi virgines post eam: \* proxima eius afferentur tibi.

**A**fferentur in lætitia & exultatione: \* adducuntur in templum Regis.

**P**ro patribus tuis nati sunt tibi filij: \* constitues eos principes super omnem terram.

**M**emores erunt nominis tui \* in  
omni

omni generatiōe & generatiōe.

**P**ropterea pōpuli confitebūntur tibi in ætēnum: \* & in sǎculum sǎculi.

## ORATIO.

**O**CHRISTE, Verbum Patris, per quem cuncta creāta sunt, & creāntur; custōdi quǎsumus Ecclēsiam tuam ex varietate Gēntium congregatam, vt dum veritatem, mansuetudinem, & iustitiam tuam ex ipsa cognōscimus, principātum ætēni sǎculi cum pātribus nostris mereāmur. Amen.

## PSALMVS XLV.

*Quo oratur' pro Reipublicæ & Ecclesie salute, ac victoria de hostibus impetranda.*

**D**EVS noster refūgium, & virtus: \* adiūtor in tribulatiōnibus, quæ inuenērunt nos nimis.

**P**ropterea



**P**ropterea non timébimus dum turbábitur terra: \* & transferéntur montes in cor maris.

**S**onuérunt, & turbátæ sunt aquæ eorum: \* conturbáti sunt montes in fortitúdine eius.

**F**luminis ímpetus lætíficat ciuitatem DEI: \* sanctificáuit tabernáculum suum Altíssimus.

**D**EVs, in médio eius, non commouébitur: \* adiuuábit eam DEVS manè dilúculo.

**C**onturbátæ sunt Gentes, & inclinâta sunt regna: \* dedit vocem suam, mota est terra.

**D**óminus virtutum nobíscum: \* fuscéptor noster DEVS Iacob.

**V**eníte, & vidète ópera Dómini, quæ pósuit prodígia super terram: \* áuferens bella vsque ad finem terræ.

**A**rcum

**A**rcum cónteret, & confrínget  
arma: \* & scuta combûret igni.

**V**acâte, & vidête quóniam ego  
sum DEVS: \* exaltâbor in Géntibus,  
& exaltâbor in terra.

**D**óminus virtûtum nobíscum: \*  
suscéptor noster DEVS Iacob.

## O R A T I O.

**D**EVS noster, refúgium, virtus,  
& adiûtor in tribulatióibus  
quæ captiuauerunt nos, sis semper  
nobíscum in médio nostri ad pro-  
tegéndum à malo, & roborándum  
in bono, & sanctífica irroratióne  
sancti Spíritus habitáculum nostri  
cordis, vt te nobíscum cooperánte  
confríngere arma iniquitátis valeâ-  
mus. Per Dóminum nostrum  
IESVM CHRISTVM.

PSAL-



## PSALMVS XLVI.

*Quo oratur, ut omnes Principes & populi ad Christum in celis iam regnantem conuertantur.*

**O**Mnes Gentes pláudite iná-  
nibus: \* iubiláte DEO in vo-  
ce exultatiónis.

**Q**uóniam Dóminus excélsus,  
terríbilis: \* Rex magnus super om-  
nem terram.

**S**ubiêcit pópulos nobis: \* &  
Gentes sub pédibus nostris.

**E**lêgit nobis hereditátē suam: \*  
spéciem Iacob, quam diléxit.

**A**scéndit DEVS in iúbilo: \* &  
Dóminus in voce tubæ.

**P**sállite DEO nostro, psállite: \*  
psállite Regi nostro, psállite.

**Q**uóniam Rex omnis terræ  
DEVS: \* psállite sapiénter.

**R**egnâbit DEVS super Gentes: \*

K DEVS

DEVS sedet super sedem sanctam suam.

**P**rincipes populorum congregati sunt cum DEO Abraham: \* quoniam dii fortes terræ, vehementer eleuati sunt.

## O R A T I O.

**D**EVS excelsus potentia, terribilis iudicio, Rex regum, Dominus dominantium, qui sedes super sedem sanctam tuam ad dexteram Patris, tibi psallimus, iubilamus & plaudimus, corde, ore, & opere, creatori & redemptori nostro. Subinde elige nos quæsumus tua gratia in hereditatem tuam cælestem, ut participes fieri mereamur cælestium gaudiorum. Amen.

PSAL-



## PSALMVS XLVII.

*Quo petitur, ut Ecclesia contra omnes  
sectas firma & inuicta consistat.*

**M**agnus Dóminus, & laudá-  
bilis nimis\* in ciuitáte Dei  
nostri, in monte sancto eius.

Fundâtur exultatiône vniuersæ  
terræ mons Sion,\* látera Aquilô-  
nis, ciuitas Regis magni.

D<sup>E</sup>VS in dómibus eius cogno-  
scêtur,\* cùm suscipiet eam.

Quóniam ecce Reges terre con-  
gregáti sunt:\* conuenérūt in vnum.

Ipsi vidéntes sic admiráti sunt,  
conturbáti sunt, commóti sunt:\*  
tremor apprehéndit eos.

Ibi dolóres vt parturiéntis,\* in  
spíritu veheménti cónteres naues  
Tharsis.

Sicut audíuimus, sic vídimus in  
ciuitáte Dómini virtutum, in ci-

K 2

uitáte

uitate DEI nostri: \* DEVS fundauit  
eam in ætérnum.

**S**uscépinus DEVS misericór-  
diam tuam, \* in médio templi tui.

**S**ecúndum nomen tuum DEVS,  
sic & laus tua in fines terræ: \* iustí-  
tia plena est dèxtera tua.

**L**ætètur mons Sion, & exúltèt fí-  
liæ Iudæ, \* propter iudícia tua Dñe.

**C**ircúmdate Sion, & complectí-  
mini eam: \* narrâte in túrribus eius.

**P**ónite corda vestra in virtúte  
eius: \* & distribúite domos eius, vt  
enarrètis in progénie áltera.

**Q**uóniam hic est DEVS, DEVS  
noster in ætérnum, & in sæculum  
sæculi: \* ipse reget nos in sæcula.

#### ORATIO.

**L**Audábilis DEVS, Dómine  
virtútum, cuius iustícia plena  
est terra; pone corda nostra in vir-  
túte



tute tua, ne deuiemus à ciuitate tua  
sancta, in qua reges terræ conuené-  
runt in vnitâte fidei, rege, prótege,  
& defēde nos, vt misericórdia tua  
in nostri pēctoris templo suscépta,  
dignos nos fáciat in cælésti Ierúsá-  
lem ætérna pérfrui lætítia. Per  
CHRISTVM Dóminum nostrum.

## P S A L M V S XLVIII.

*Quo petit anima, ne cor suū apponat,  
& superbiat diuitiis mox perituris.*

**A** Vdíte hæc omnes Gentes:  
áuribus percípite omnes,  
quí habitátis orbem:

Quique terrígenæ, & filij hó-  
minum: \* simul in vnum diues &  
pauper.

O s meum loquētur sapién-  
tiam: \* & meditatio cordis mei  
prudéntiam.

**I**nclinâbo in parábolam aurem  
K 3 meam: \*

meam: \* apérim in psalterio propositionem meam.

**C**ur timébo in die mala? \* iníquitas calcáni mei circúmdabit me.

**Q**ui confidunt in virtúte sua: \* & in multitudíne diuitiárum suárum gloriántur.

**F**rater non rédimít, rédimet homo: \* non dabit DEO placatióem suam.

**E**t prétium redemptiósni ánimæ suæ: \* & laborábit in ætérnum, & viuet adhuc in finem.

**N**on vidébit intéritum, cùm viderit sapiéntes moriéntes: \* simul insípiens & stultus períbunt.

**E**t relínquent aliénis diuitias suas: \* & sepúlchra eórum domus illórum in ætérnum.

**T**abernácula eórum in progénie & progénie: \* vocauérunt nómina



nómina sua in terris suis.

**E**t homo, cùm in honóre esset,  
non intelléxit: \* comparátus est iu-  
méntis insipientibus, & similis fa-  
ctus est illis.

**H**æc via illorũ scándalum ipsis: \*  
& póstea in ore suo complacébũt.

**S**icut oues in inférno póstiti sunt: \*  
mors depáscet eos.

**E**t dominabũntur eorũ iusti  
in matutino: \* & auxílium eorũ  
veteráscet in inférno à glória eorũ.

**V**erũtamen **D**eu*s* rédimet  
ánimam meam de manu ínferi: \*  
cùm accéperit me.

**N**e timúeris cùm diues factus  
fúerit homo: \* & cùm multiplicá-  
ta fúerit glória domus eius.

**Q**uóniam cùm interíerit, non  
sumet ómnia: \* neque descéndet  
cum eo glória eius.

K 4

**Q**uia

**Q**uia ánima eius in vita ipsíus benedicétur: \* confitébitur tibi cum beneféceris ei.

**I**ntroíbit vsque in progénies patrum suórum: \* & vsque in ætérnum non vidébit lumen.

**H**omo, cum in honóre esset, non intelléxit: \* comparátus est iu-  
méntis insipientibus, & símilis fa-  
ctus est illis.

#### ORATIO.

**D**omine, qui es prétium nostræ redemptionis, libera ánimas nostras de manu insidiántis fáta-  
næ, ne mors gehénnæ depáscat nos in intéritum sempitérnum: sed trí-  
bue intelléctum, vt mandátis tuis obediéndo terréna cuncta con-  
temnâmus, & ad cæléstia bona toto mentis afféctu anhelêmus.  
Amen.

PSAL-



## PSALMVS XLIX.

*Quo psallens orat, ut memor extre-  
mi iudicij, pia et sancta vita  
DEO placere studeat.*

**D**EVS deorum Dóminus locú-  
tus est: \* & vocáuit terram.

**A** solis ortu vsque ad occâsum: \*  
ex Sion spécies decôris eius.

**D**EVS manifestè véniet: \* **D**EVS  
noster, & non filêbit.

**I**gnis in conspéctu eius exardé-  
scet: \* & in circúitu eius tempéstas  
válida.

**A**duocâbit cælum desúrsus: \* &  
terram discernere pópulum suum.

**C**ongregâte illi sanctos eius: \*  
qui órdinant testaméntum eius su-  
per sacrificia.

**E**t annuntiábunt cæli iustítiam  
eius: \* quóniam **D**EVS iudex est.

**A**udi pópulus meus, & loquar;

K 5

Israël,

Israël, & testificabor tibi: \* DEVS  
DEVS tuus ego sum.

**N**on in sacrificiis tuis árguam  
te: \* holocáusta autem tua in con-  
spéctu meo sunt semper.

**N**on accípiã de domo tua vítu-  
los: \* neque de grégibus tuis hircos.

**Q**uóniam meæ sunt omnes fe-  
ræ siluárum, \* iuménta in mónti-  
bus & boues.

**C**ognóui ómnia volatília cæli: \*  
& pulchritúdo agri mecum est.

**S**i esuriero, non dicam tibi: \*  
meus est enim orbis terræ, & ple-  
nitúdo eius.

**N**umquid manducábo carnes  
taurórum? \* aut sánguinem hircô-  
rum potábo?

**I**mmola DEO sacrificium lau-  
dis: \* & redde Altíssimo vota tua.

**E**t ín-uoca me in die tribulatiô-  
nis: \*



nis: \* éruam te, & honorificâbis me.

**P**eccatôri autem dixit DEVS: \*  
Quare tu enârras iustítias meas, &  
assûmis testaméntum meum per  
os tuum?

**T**u verò odísti disciplînam: \* &  
proiecísti sermónes meos retrór-  
sum:

**S**i vidébas furem, currébas cum  
eo: \* & cum adúlteris portiônem  
tuam ponébas.

**O**s tuum abundâuit malítia: \*  
& lingua tua concinnâbat dolos.

**S**edens aduérsus fratrem tuum  
loquebâris, & aduérsus fílium ma-  
tris tuæ ponébas scándalum: \* hæc  
fecísti, & tácuí.

**E**xistimásti iníquè quòd ero tui  
similis: \* árguam te, & státuam  
contra fáciem tuam.

**I**ntellígite hæc qui obliuiscími-  
ni

ni DEVM: \* nequándo rápiat, & non fit qui erípiat.

**S**acrificium laudis honorificabit me: \* & illic iter, quo ostendam illi salutâre DEI.

## ORATIO.

**D**EVS deôrum, Dñe, cuius est orbis terræ & plenitúdo eius, qui manifestè ventûrus es in igne exardescénti & tempestâte várida, ad iudicándum genus humânum; te súpplīces exorâmus, vt holocáuſta noſtra igne charitâtis ſuccénſa in compunctiōne cordis, ſint tibi grata & accépta: vt ſic à peccâtis noſtris expiâti priúſquâ ab hac vita rapiâmur ad iudiciũ, plácidum ac pacâtum te inueniâmus redemptōrem noſtrum IESVM, cui cum Patre & ſancto Spírītu eſt honor & glória in ſæcula ſæculōrum. Amen.

PSAL-



## PSALMVS L.

*Quo oratur pro criminum remissione.*

**M**iserere mei DEVS, \* secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum, \* dele iniquitatem meam.

Amplius laua me ab iniquitate mea: \* & à peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: \* & peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: \* vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.

Ece enim in iniquitatibus conceptus sum: \* & in peccatis concepit me mater mea.

Ece enim veritatem dilexisti: \*  
incerta

incerta & occulta sapiëntiæ tuæ manifestasti mihi.

**A**spérges me hyssópo, & mundâbor: \* lauâbis me, & super niuem dealbâbor.

**A**uditui meo dabis gáudium & lætítiam: \* & exultábunt ossa humiliâta.

**A**uerte faciẽ tuã à peccátis meis: \* & omnes iniquitátes meas dele.

**C**or mundum crea in me **DEVS**: \* & spíritum rectum innoua in vísceribus meis.

**N**e proiicias me à faciẽ tua: \* & spíritũ sanctũ tuũ ne áuferas à me.

**R**edde mihi lætitiã salutâris tui: \* & spíritu principáli confirma me.

**D**ocêbo iníquos vias tuas: \* & impij ad te conuerténtur.

**L**ibera me de sanguínibus  
**DEVS DEVS** salutis meæ: \* & exul-  
tábit



tābit lingua mea iustitiam tuam.

**D**ómine lábia mea apéries: \* & os meum annuntiābit laudē tuam.

**Q**uóniam si voluisses sacrificium, dedissem útique: \* holocáustis non delectáberis.

**S**acrificium DEO spíritus contríbuitus: \* cor contrítum & humiliátum DEVS non despícies.

**B**enigné fac Dómine in bona voluntáte tua Sion: \* vt ædificentur muri Ierúsalem.

**T**unc acceptābis sacrificiū iustitiæ, oblatiōes, & holocáusta: \* tunc impónent super altāre tuū vítulos.

## ORATIO.

**D**Ele iniquitates nostras Dómine, secúndum magnam misericórdiam tuam, munda & laua nos super candōrem niuis à peccá-  
tis nostris, quibus malum coram

te

te fecimus. Cor nostrum contritum & humiliatum non despicias Dómine: sed innoua in viscéribus nostris spíritum sanctum tuum, quo laudem tuam annuntiâre possimus, & recto principalique spírítu confirmâti, mereâmur in cælestem Ierúsalem peruenîre. Per CHRISTVM Dóminum nostrum.

## P S A L M V S L I.

*Quo psallens orat, ut DEVS compescat maledicentiam sibi innocentibus obrectantium.*

**Q**uid gloriâris in malítia,\* qui potens es in iniquitatē?

**T**ota die iniustítiam cogitâuit lingua tua: \* sicut nouâcula acûta fecisti dolum.

**D**ilexisti malítiam super benignitatem: \* iniquitatē magis, quàm loqui æquitatem.

**D**ilexisti



**D**ilexisti omnia verba præcipationis, \* lingua dolosa.

**P**ropterea **D**EVS destruet te in finem: \* euellet te, & emigrabit te de tabernaculo tuo; & radicem tuam de terra uiuentium.

**V**idebunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, & dicent: \* Ecce homo, qui non posuit **D**EVM adiutorem suum:

**S**ed sperauit in multitudi-  
ne diuitiarum suarum: \* & prauauit in  
vanitate sua.

**E**go autem, sicut oliua fructife-  
ra in domo **D**EI, \* speraui in mi-  
sericordia **D**EI in æternum, & in  
sæculum sæculi.

**C**onfitebor tibi in sæculum  
quia fecisti: \* & expectabo nomen  
tuum, quoniam bonum est in con-  
spectu sanctorum tuorum.

L

ORA-

## ORATIO.

**O**Mnípotens DEVS, totius mundanæ vanitatis destrutor, fac nos in Ecclesia tua florere, sicut oliuam fructiferam bonorum operum: vt in tua misericordia sperantes, & tibi semper grátias agentes, ab iniquitatis maledicto saluemur per confessiõnem nómínis tui, quod IESVS est.

## PSALMVS LII.

*Quo petitur liberatio ab oppressione impiorum & atheorum.*

**D**Ixit insípiens in corde suo: \* Non est DEVS.

**C**orrúpti sunt, & abominábiles facti sunt in iniquitatibus: \* non est qui fáciat bonum.

**D**EVS de cælo prospéxit super filios hóminum: \* vt vídeat si est intélligens, aut requírens DEVM.

**O**mnes



**O**mnes declinauerunt, simul inú-  
tiles facti sunt: \* non est qui faciat  
bonum, non est usque ad vnum.

**N**onne scient omnes qui ope-  
rantur iniquitatem, \* qui deuorant  
plebem meam vt cibum panis?

**D**EV M non inuocauerunt: \* illic  
trepidauerunt timore, vbi non erat  
timor.

**Q**uoniam DEVS dissipauit ossa  
eorum qui hominibus placent: \* con-  
fusi sunt, quonia DEVS spreuit eos.

**Q**uis dabit ex Sion salutare Is-  
raël? \* cum conuerterit DEVS capti-  
uitatem plebis suæ, exultabit Ia-  
cob, & lætabitur Israël.

## O R A T I O.

**O**MNÍpotens D E V S, de cælo  
próspecte super nos peccatores,  
filios hominum; vt intelligamus &  
requiramus te solum D E V M ve-

L 2

rum,

rum, spretis mundanis omnibus.  
 Ne declinemus à rectitudine, iustitia, & via veritatis, ne corrumpamur & abominabiles simus in iniquitatibus nostris; sed nos conuèrtere dignèris ad te, vt latèmur & exultèmus in salutari tuo, Dómino nostro IESV CHRISTO. Amen.

## PSALMVS LIII.

*Quo innocens orat, vt ab hostibus  
 & proditoribus liberetur*

**D**EVS in nómine tuo saluum me fac: \* & in virtute tua iudica me.

**D**EVS exáudi orationem meam: \* áuribus pèrcipe verba oris mei.

**Q**uóniam aliéni infurrexerunt aduèrsum me, & fortes quesièrunt animam meam: \* & non proposuerunt DEVM ante conspèctũ suum.

**E**cce enim DEVS adiuvat me: \*  
 &



& Dñs fuscéptor est animæ meæ.

**A**uerte mala inimícis meis: \* & in veritâte tua dispérde illos.

**V**oluntáriè sacrificâbo tibi,\* & confitêbor nómini tuo Dómine: quóniam bonum est.

**Q**uóniam ex omni tribulatiône eripuísti me: \* & super inimícos meos despéxit óculus meus.

## ORATIO.

**D**omine, in virtûte nóminis tui salua nos, ne aliéni in fide diuértant à vera pietâte ánimas nostras, sed per tuam grátiam, sub diuina protectiône eas súscipe, libera & éripe ab ómnibus inimícis tam visibílibus quàm inuisibílibus, insidiántibus nobis, vt sic semper nómini tuo, quod Iesvs est, voluntáriè, sacrificio laudis & bonôrum, confiteâmur per sæcula. Amen.

L 3

PSAL-

## PSALMVS LIV.

*Quo petitur à DEO hæreticorum dissipatio, ac coniurationis & conspirationis impiorum.*

**E**Xáudi DEVS. oratiônem meam, & ne despéxeris deprecationem meam: \* inténde mihi, & exáudi me.

**C**ontristâtus sum in exercitatiône mea: \* & conturbâtus sum à voce inimíci, & à tribulatiône peccatôris.

**Q**uóniam declinauérunt in me iniquitâtes: \* & in ira molésti erant mihi.

**C**or meum conturbâtum est in me: \* & formîdo mortis cécidit super me.

**T**imor & tremor venérunt super me; \* & contexérunt me tenebræ:

**E**t dixi: Quis dabit mihi penas  
nas



nas sicut columbæ,\* & volâbo, & requiescam?

**E**cce elongâui fugiens:\* & mansi in solitudine.

**E**xpectâbam eum, qui saluum me fecit\* à pusillanimitate spiritus, & tempestâte.

**P**ræcipita Dñe, diuide linguas eorum:\* quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.

**D**ie ac nocte circumdabit eam super muros eius iniquitas:\* & labor in medio eius, & iniustitia.

**E**t non defecit de platéis eius\* vsûra, & dolus.

**Q**uoniam si inimicus meus maledixisset mihi,\* sustinuíssem utique.

**E**t si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset:\* abscondíssem me forsitan ab eo.

**T**u verò homo vnánimis: \* dux meus, & notus meus.

**Q**ui simul mecum dulces capiébas cibos: \* in domo DEI ambuláuimus cum consensu.

**V**éniať mors super illos: \* & descéndant in inférnum viuéntes:

**Q**uóniam nequítia in habitáculis eórum: \* in médio eórum.

**E**go autem ad DEVM clamáui: \* & Dóminus saluábit me.

**V**éspere, & manè, & merídie narrábo & annuntiábo: \* & exáudiet vocem meam.

**R**édimet in pace ánimam meam ab his qui appropínquant mihi: \* quóniam inter multos erant mecum.

**E**xáudiet DEVS, & humiliábit illos, \* qui est ante sæcula.

**N**on enim est illis commutátio, &



& non timuérunt DEVM: \* exténdit  
manum suam in retribuendo.

**C**ontaminauérunt testaméntum  
eius, diuísi sunt ab ira vultus eius: \*  
& appropinquauit cor illíus.

**M**ollíti sunt sermónes eius su-  
per óleum: \* & ipsi sunt iacula.

**I**acta super Dóminum curam  
tuam, & ipse te enútriet: \* non dabit  
in ætérnum fluctuatióem iusto.

**T**u verò DEVS dedúces eos, \* in  
púteum intéritus.

**V**iri sánguinem & dolósi non  
dimidiábunt dies suos: \* ego au-  
tem sperábo in te Dómine.

## O R A T I O.

**D**omine, qui in te iactámus ceu  
in tutíssimum portum omnes  
curas nostras, solíque tuæ grátia  
innítimur, enútrias nos in fide, mó-  
ribus, doctrína, & virtútibus. Ne

L 5

despé-

despéxeris deprecationes nostras,  
 sed salua nos à pusillanimitate spí-  
 ritus; ne succumbâmus in tribula-  
 tionibus aut pressuris: & te vespere,  
 manè & merídie laudâtes, mereâ-  
 mur ab huius sæculi tempestati-  
 bus defensári. Per CHRISTVM  
 Dóminum nostrum. Amen.

## PSALMVS LV.

*Quo postulatur auxilium aduersus ho-  
 stes tam visibiles quàm inuisibiles.*

**M**iserere mei DEVS, quóniam  
 conculcâuit me homo: \*  
 tota die impúgnans tribulâuit me.

**C**onculcauerunt me inimíci  
 mei tota die: \* quóniam multi bel-  
 lantes aduersum me.

**A**b altitúdine diéi timêbo: \* ego  
 verò in te sperâbo.

**I**n DEO laudâbo fermónes  
 meos, in DEO sperâui: \* non ti-  
 mébo



mêbo quid fáciat mihi caro.

**T**ota die verba mea execrabántur: \* aduérsum me omnes cogitationes eórum, in malum.

**I**nhabitábunt & abscondét: \* ipsi calcáneum meum obseruábunt.

**S**icut sustinuérunt ánimam meam, pro níhilo saluos fácies illos: \* in ira pópulos confrínges.

**D**EVS, vitam meam annuntiáui tibi: \* posuísti lácrymas meas in conspéctu tuo,

**S**icut & in promissióne tua: \* tunc conuerténtur inimíci mei retrórsim:

**I**n quacúmque die inuocávero te: \* ecce cognóui quóniã DEVS meus es.

**I**n D E O laudábo verbum, in Dómino laudábo sermônem: \* in D E O speráui, non timêbo quid fáciat mihi homo.

**I**n

In me sunt DEVS, vota tua, \* quæ reddam, laudationes tibi.

Quóniam eripuísti ánimam meam de morte, & pedes meos de lapsu: \* vt placeam coram DEO in lúmine viuéntium.

## ORATIO.

**V**Nica salus, vita, & spes nostra, DEVS, consolátor, remunerátor, & vbique iustificátor, miserere nobis, qui úndique tribulationibus à mundo, tentationibus à diábolo, misériis à carne conculcámur, qui semper obseruant calcaneum nostrum. Eripe ánimas nostras de morte æterna, vt dum híc carnália bella comprimimus, placere tibi in lúmine glóriæ & immortalitátis mereámur. Per CHRISTVM Dóminum nostrum. Amen.

PSAL-



## PSALMVS LVI.

*Quo anima se ad Deum dirigit, in periculis, insidijs, arctisq̃ue rebus constituta.*

**M**iserere mei DEVS, miserere mei: \* quóniam in te confidit ánima mea.

**E**t in vmbra alârũ tuarũ sperabo, \* donec tránseat iníquitas.

**C**lamábo ad DEVM altíssimum: \* DEVM, qui benefêcit mihi.

**M**isit de cælo, & liberáuit me: \* dedit in oppróbrium conculcantes me.

**M**isit DEVS misericórdiã suam, & veritãtem suam, \* & eripuit ánimam meam de médio catulôrum leônũ: dormíui conturbãtus.

**F**ílij hóminũ, dentes eôrũ arma & sagíttæ: \* & lingua eôrũ gládius acútus.

**E**xal-

**E**xaltâre super cælos DEVS: \* & in omnem terram glória tua.

**L**aqueum parauerunt pèdibus meis: \* & incuruauerunt ànimam meam.

**F**oderunt ante facièm meam foveam: \* & incidèrunt in eam.

**P**aratum cor meum DEVS, paratum cor meum: \* cantâbo, & psalmum dicam.

**E**xúrge glória mea, exúrge psalterium & cíthara: \* exúrgam dilúculo.

**C**onfitèbor tibi in pópulis Dómine: \* & psalmum dicam tibi in Géntibus:

**Q**uóniam magnificâta est vsque ad cælos misericórdia tua, \* & vsque ad nubes véritas tua.

**E**xaltâre super cælos DEVS: \* & super omnem terram glória tua.

**ORA-**



## ORATIO.

**D**EVS, cui pròprium est præ-  
stare misericórdiam qui in te  
confidéntiam habent, ab æstu per-  
secutiõnum & vitiõrum prótege  
nos subvmbra alârũ tuârũ, quę  
sunt misericórdia & vëritas, donec  
trãseat iniquitas impiõrum, &  
eruãmur à nequíssimis insidiatõ-  
rum fòueis, & láqueis diaboli: vt  
sic mala sustinendo temporália,  
ætérna bona sperẽmus, donec ad  
te, qui CHRISTVS es, peruenire  
valeãmus. Amen.

## PSALMVS LVII.

*Quo cupit à DEO psallens, vt calum-  
niatores & oppressores iustorum  
retundantur & auferantur.*

**S**I verè útique iustítiam loquí-  
mini: \* recta iudicâte filij  
hominum.

**E**tenim

**E**tenim in corde iniquitates operamini: \* in terra iniustitias manus vestrae concinnant.

**A**lienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab útero: \* locuti sunt falsa.

**F**uror illis secundum similitudinem serpentis: \* sicut aspide surdæ, & obturantis aures suas.

**Q**uæ non exaudiet vocem incantantium: \* & venefici incantantis sapienter.

**D**eus conteret dentes eorum in ore ipsorum: \* molas leonum confringet Dominus.

**A**d nihilum devenient tamquam aqua decurrens: \* intendit arcum suum donec infirmentur.

**S**icut cera, quæ fluit, auferentur: \* supercécidit ignis, & non viderunt solem.

**P**riusquam



Priusquam intelligerent spinæ  
vestræ rhamnum: \* sicut viuentes,  
sic in ira absorbet eos.

Lætabitur iustus cum viderit  
vindictam: \* manus suas lauabit in  
sanguine peccatoris.

Et dicet homo: Si utique est fru-  
ctus iusto: \* utique est D E V S iu-  
dicans eos in terra.

## O R A T I O.

**D**A quæsumus, Dómine, vt  
rectè iudicemus nosmetipsos,  
ne à via veritatis & iustitiæ aber-  
rantes, manus nostræ iniustitias  
concinnent, peccata peccatis cu-  
mulando: sed nostrorum spinis fa-  
cinorum afflicti, aurem non ob-  
turantes præceptis tuis, te solem  
iustitiæ & verum lumen sequâ-  
mur. Per Dóminum nostrum.

M

PSAL-

LIBROS  
DEL DR.  
L. MARCO

*Quo postulatur, ut Iudæi, hæretici,  
aliique Christi & Ecclesiæ hostes  
dissipentur.*

**E**Ripe me de inimicis meis  
DEVS meus: \* & ab insurgen-  
tibus in me libera me.

**E**ripe me de operantibus ini-  
quitatem: \* & de viris sanguinum  
salua me.

**Q**uia ecce cepérunt animam  
meam: \* irruérunt in me fortes.

**N**eque iniquitas mea, neque pec-  
cátum meum Dómine: \* sine ini-  
quitáte cucúrri, & diréxi.

**E**xúrge in occúrsum meum, &  
vide: \* & tu Dómine DEVS virtú-  
tum, DEVS Israël,

**I**nténde ad visitándas omnes  
Gentes: \* non misereâris ómnibus  
qui operántur iniquitatem.

**C**onuer-



**C**onuertentur ad vesp̄eram, & famem patientur vt canes: \* & circuibunt ciuitatem.

**E**cce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum: \* quoniam quis audiuit?

**E**t tu Dómine deridēbis eos: \* ad nihilum deduces omnes Gentes.

**F**ortitudinem meam ad te custodiam; quia **D**EVs suscep̄tor meus es: \* **D**EVs meus misericórdia eius prauēniet me.

**D**EVs ostēdet mihi super inimicos meos, ne occidas eos: \* nequādo obliuiscātur pópuli mei.

**D**ispérge illos in virtute tua: \* & depōne eos protector meus Dñe:

**D**elictum oris eorum, sermōnem labiōrum ipsōrum: \* & comprehendātur in sup̄bia sua.

**E**t de execratiōe & mendacio

M 2

annun-

annuntiabúntur in consummatione: \* in ira consummationis, & non erunt.

**E**t scient, quia **D** **E** **V** **S** dominabitur Iacob: \* & finium terræ.

**C**onuerténtur ad vésperam, & famem patientur vt canes: \* & circuibunt ciuitatem.

**I**psi dispergéntur ad manducándum: \* si verò non fúerint saturáti, & murmurábunt.

**E**go autem cantâbo fortitúdinem tuam: \* & exultâbo manè misericórdiam tuam.

**Q**uia factus es suscéptor meus, \* & refúgium meum, in die tribulationis meæ.

**A**diûtor meus tibi psallam, quia **D** **E** **V** **S** suscéptor meus es: \* **D** **E** **V** **S** meus misericórdia mea.

**ORA-**



## ORATIO.

**D**EVs, misericórdia nostra, protectór & refúgium nostrum; éripe nos de inimícis nostris tam visibílibus quàm inuisibílibus: exsúrge in occúrsum nostrum, & adiuvá ut faciámus quæ præcipis, & impleámus quod expédit; quatenus tuo adiutório muníti, & misericórdia adiúti, mereámur post huius vitæ exílium, ad tuæ beatitúdinis glóriam perueníre. Per Dóminum nostrum IESVM CHRISTVM.

## PSALMVS LIX.

*Quo oratur, ut vrbs, aut prouincia heretica vel infidelis à Christianis obsessa illis subiiciatur.*

**D**EVs repulísti nos, & destruxísti nos: \* irátus es, & miserátus es nobis.

**C**ommouísti terram, & conturb-

M 3

turbásti eam: \* sana contritiónes eius, quia commôta est.

**O** stendísti pópulo tuo dura: \* potásti nos vino compunctiônis.

**D** edísti metuéntibus te signifi-  
catiônem: \* vt fúgiant à fácie arcus:

**V**t liberéntur dilécti tui, \* saluum  
fac délixtera tua, & exáudi me.

**D**EVS locútus est in sancto suo:  
Lætâbor, & partîbor Síchimam:  
& conuállem tabernaculôrum me-  
tîbor.

**M**eus est Gálaad, & meus est  
Manáßes: \* & Ephraim fortitúdo  
cápitis mei.

**I**uda rex meus: \* Moab olla spei  
meæ.

**I**n Idumæam exténdam calcea-  
méntum meum: \* mihi alienígenæ  
súbditi sunt.

**Q**uis dedúcet me in ciuitâtem  
munî-



munítam? \* quis dedúcet me vsque  
in Idumæam?

**N**ónne tu **D E V S**, qui repulísti  
nos: \* & non egrediêris **D E V S** in  
virtútibus nostris?

**D**a nobis auxílium de tribula-  
tione: \* quia vana salus hóminis.

**I**n **D E O** faciêmus virtuté: \* & ipse  
ad níhilũ dedúcet tribulántes nos,

**O R A T I O.**

**O**Mnípotens **D E V S**, ne repél-  
las nos propter peccâta no-  
stra, ne irascâris, sed miserêre no-  
bis, salua & líbera à potestâte diá-  
boli: in te est omnis spes, virtus,  
& glória nostra; vnde ad níhilum  
rédiſe tam vítia quæ nos tribu-  
lant, quàm inimícos qui nos im-  
púgnant, vt tandem ætérna felici-  
tâte te largiênte pérfrui mereâmur.  
Per **C H R I S T V M** Dóminum.

**M 4****PSAL-**

*Quo psallens exul orat, ut patriæ,  
Ecclesiæ, quietæ & longæ vitæ  
hîc, & potius in cælo restituatur.*

**E**Xaudi DEVS deprecationem meam: \* intēde orationi meæ.

**A** finibus terræ ad te clamavi: \* dum anxiarētur cor meum, in petra exaltasti me.

**D**eduxisti me, quia factus es spes mea: \* turris fortitudinis à facie inimici.

**I**nhabitābo in tabernáculo tuo in sæcula: \* protégar in velamēto alārū tuārum.

**Q**uoniam tu, DEVS meus exaudisti orationem meam: \* dedisti hereditatem timētibz nomen tuum.

**D**ies super dies regis adiicies: \*  
annos



annos eius vsque in diem generatiônis & generatiônis.

**P**ermanet in æternum in conspectu DEI: \* misericórdiam & veritatem eius quis requîret?

**S**ic psalmum dicam nómini tuo in sæculum sæculi: \* vt reddam vota mea de die in diem.

## ORATIO.

**E**Xáudi deprecationē nostram, spes nostra, & misericordíssime consolátor DEVS, & dedúcas nos per viam veritátis & vitæ in velaménto alârum tuârum: & esto nobis ceu turris fortitudinis, atque munitio inexpugnâbilis, à fácie & impugnatione inimíci tum visíbilis tum inuisíbilis, vt tandem cónsequi mereâmur hereditatem futúri sæculi, & tabernácula inhabitâre æterna. Per CHRISTVM.

M 5

PSAL.

*Quo petitur, vt anima in aduersis posita, non in vanis hominibus, aut opibus, sed in DEO spem collocet, illique se totam resignet.*

**N**onne DEO subiecta erit anima mea? \* ab ipso enim salutare meum.

**N**am & ipse DEVS meus, & salutaris meus: \* susceptor meus, non mouëbor ampliùs.

**Q**uòusque irrúitis in hóminē? interficitis vniuersi vos: \* tãquam parieti inclinãto & maceriæ depúlsæ?

**V**erúmtamen prætium meum cogitauerunt repellere, cucúrri in fiti: \* ore suo benedicébant, & corde suo maledicébant.

**V**erúmtamen DEO subiecta esto anima mea: \* quóniam ab ipso patientia mea.

**Q**uia



**Q**uia ipse **D E V S** meus, & Saluátor meus, \* adiutor meus, non emigrâbo.

**I**n **D E O** salutâre meum, & glória mea: \* **D E V S** auxiliij mei, & spes mea in **D E O** est.

**S**perâte in eo omnis congregatio pópuli, effúndite coram illo corda vestra: \* **D E V S** adiutor noster in ætérnum.

**V**erúm tamen vani filij hóminum, mendâces filij hóminum in statéris: \* vt decípiant ipsi de vanitâte in idípsum.

**N**olíte sperâre in iniquitâte, & rapínas nolíte cōcupíscere: \* diuitiæ si áffluant, nolíte cor appónere.

**S**emel locútus est **D E V S**, duo hæc audiui, quia potéstas **D E I** est, & tibi Dómine misericórdia: \* quia tu reddes vnicuique iuxta ópera sua.

**ORA-**

**D**A quæsumus Dómine, qui es única salus, spes, & glória nostra; ne vacillêmus in aduersitatibus, ne emigrêmus à te in tribulationibus; sed subiecta semper sit ánima præceptis tuis, & renuêntes incérta diuitiârum oblectaménta, te solum contémpta omni mundi vanitâte sequâmur. Per Dóminum nostrum IESVM CHRISTVM.

## PSALMVS LXII.

*Quo psallens in hoc exilio inter tot hostes, ad DEVM celumque suspiret.*

**D**EVS DEVS meus\* ad te de luce vígilo.

Sitúit in te ánima mea,\* quàm multipliciter tibi caro mea.

**I**n terra desérta, & ínuiâ, & in aquósa:\*



aquósa : \* sic in sancto apparui tibi, vt vidêrem virtutem tuam, & glóriam tuam.

**Q**uóniam mélior est misericórdia tua super vitas: \* lábia mea laudábunt te.

**S**ic benedîcam te in vita mea: \* & in nómine tuo leuábo manus meas.

**S**icut ádipe & pinguédine repleátur ánima mea: \* & lábiis exultatiônis laudâbit os meum.

**S**i memor fui tui super stratum meum, in matutínis meditabor in te: \* quia fuísti adiûtor meus.

**E**t in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæsit ánima mea post te: \* me suscêpit dextera tua.

**I**psi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introíbunt in inferiôra terræ, \* tradéntur in manus

manus gládij, partes vûlpium erunt.

**R**ex verò lætábitur in DEO, laudabúntur omnes qui iurant in eo: quia obstrúctum est os loquéntium iníqua.

**O R A T I O.**

**O**Mnípotens DEVS, auctor lucis æternæ, lumen largíte perpétuum ad te de luce vigilántibus in hoc árido deserto mundi; semper sítiat ánima nostra te fontem vitæ, & fuscípiat nos sub protectiône alârum tuârum misericórdia tua; vt te laudent lábia nostra, vita benedícat, & ópera gloríficent. Per Dóminum nostrum IESVM CRISTVM Fílium tuum.

**PSAL-**



## PSALMVS LXIII.

Quo rogatur DEVS, *ut calumnias,  
insidias, & machinationes impio-  
rum dissipet.*

**E**Xaudi DEVS orationē meam  
cūm dēprecor: \* à timōre ini-  
mici ēripe animam meam.

**P**rotexisti me à conuēntu mali-  
gnantium: \* à multitudīne ope-  
rantium iniquitatem.

**Q**uia exacuērunt vt gladium  
linguas suas: \* intenderunt arcum  
rem amaram, vt sagittent in occul-  
tis immaculatum.

**S**ubito sagittabunt eum, & non  
timēbunt: \* firmauerunt sibi ser-  
monem nequam.

**N**arrauerunt vt absconderēt lā-  
queos: \* dixerunt: Quis vidēbit eos?

**S**crutati sunt iniquitates: \* defe-  
cerunt scrutantes scrutinio.

**A**ccē-

**A**ccêdet homo ad cor altum: \*  
& exaltabitur DEVS.

**S**agittæ paruulôrum factæ sunt  
plagæ eôrum: \* & infirmatæ sunt  
contra eos linguæ eôrum.

**C**onturbâti sunt omnes qui vi-  
debât eos: \* & tímuit omnis homo.

**E**t annuntiauerunt ópera DEI: \*  
& facta eius intellexérunt.

**L**ætábitur iustus in Dómino, &  
sperábit in eo, \* & laudabúntur  
omnes recti corde.

### ORATIO.

**S**Pes ómnium in te credéntium  
DEVS, éripe nos de manu inimí-  
ci visíbilis & inuisíbilis, & protége  
à cōuētu malignántiũ, qui occul-  
tis iáculis nos impugnâre conán-  
tur: atque recto corde tibi seruién-  
tes, in te lætémur, tibique per óm-  
nia placeâmus. Per CHRISTVM.

PSAL-



## PSALMVS LXIV.

*Quo postulatur ut DEVS benedicat  
frugibus terræ, et mysticè, vir-  
tutibus animæ.*

**T**E decet hymnus DEVS in  
Sion: \* & tibi reddetur vo-  
tum in Ierúsalem.

EXÁUDI oratiónem meam: \* ad  
te omnis caro véniet.

VERBA iniquórum præualué-  
runt super nos: \* & impietátibus  
nostris tu propitiáberis.

BEÁTUS, quem elegísti, & assum-  
psísti: \* inhabitábit in átriis tuis.

REPLÉBIMUR in bonis domus  
tuæ: \* sanctum est templum tuum,  
mirábile in æquitáte.

EXÁUDI nos DEVS salutáris no-  
ster, \* spes ómnium finium terræ,  
& in mari longè.

PRÆPARANS montes in virtúte  
N tua,

tua, accinctus poténtia: \* qui contúrbas profúndum maris, sonum flúctuum eius.

**T**urbabúntur Gentes, & timébunt qui hábitant términos à signis tuis: \* éxitus matutíni & véspere delectábis.

**V**isitásti terram, & inebriásti eam: \* multiplicásti locupletáre eá.

**F**lumen DEI replétum est aquis, parásti cibum illórum: \* quóniam ita est præparátio eius.

**R**iuos eius inébria, multíplica genímína eius: \* in stílicídijs eius lætábitur gérmínans.

**B**enedíces corónæ anni benignitátis tuæ: \* & campi tui replebúntur vbertáte.

**P**inguéscent speciôsa desérti: \* & exultatiône colles accingéntur.

**I**ndúti sunt aríetes óuium, & valles



les abundábunt fruménto: \* clamábunt, étenim hymnum dicent.

## ORATIO.

**E**Xáudi nos DEVS salutâris noster, & iniquitatibus nostris propitiâre, vt erépti ab ariditâte peccâti, flúmine misericórdiæ tuæ copiósius irrigâti, repleâmur semper & saturêmur in bonis grâtiæ tuæ: vt tandem in sorte electôrum tuôrum hymnum dicâmus exultatiônis & laudis, per te IESV CHRISTE saluâtor mundi, qui es benedíctus in sæcula. Amen.

## PSALMVS LXV.

*Quo petitur, vt anima per aduersa  
& hostes, quasi per ignem & aquam illæsa transeat.*

**I**Vbilâte DEO omnis terra, psalmum dícite nómini eius: \* date glóriam laudi eius.

N. 2

**D**ícite

**D**ícite **D**E O quàm terríbilí-  
sunt ópera tua Dómine! \* in mul-  
títúdine virtútis tuæ mentiéntur  
tibi inimíci tui.

**O**mnis terra adóret te, & psallat  
tibi: \* psalmum dicat nómini tuo.

**V**eníte, & vidète ópera **D**EI: \*  
terríbilis in consílijs super fílios  
hóminum.

**Q**ui conuértit mare in áridam,  
in flúmine pertransíbunt pede: \*  
ibi lætábimur in ipso.

**Q**ui dominâtur in virtûte sua in  
æternum, óculi eius super Gentes  
respíciunt: \* qui exásperant, non ex-  
alténtur in semetípsis.

**B**enedícite Gêtes **D**EVM nostrú: \*  
& audítam fácite vocé laudis eius.

**Q**ui pósuit ánimam meam ad  
vitam: \* & non dedit in commo-  
tiónem pedes meos.

**Q**uó-



**Q**uóniam probásti nos DEVS: \*  
igne nos examinásti, sicut exami-  
nâtur argéntum.

**I**nduxísti nos in láqueum, posuí-  
sti tribulatiónes in dorso nostro: \*  
imposuísti hómines super cápita  
nostra.

**T**ransiúimus per ignem & a-  
quam: \* & eduxísti nos in refri-  
gérium.

**I**ntroibo in domum tuam in  
holocáustis: \* reddam tibi vota  
mea, quæ distinxérunt lábia mea.

**E**t locútum est os meum, \* in  
tribulatióne mea.

**H**olocáusta medullâta offeram  
tibi cum incénso arietum: \* offer-  
ram tibi boues cum hircis.

**V**eníte, audíte, & narrâbo, om-  
nes qui timétis DEVM, \* quanta fe-  
cit ánimæ meæ.

**A**d ipsum ore meo clamáui, \*  
& exaltáui sub lingua mea.

**I**niquitatem si aspéxi in corde meo, \* non exáudiet Dóminus.

• **P**ropterea exaudíuit D E V S, \* & atténdit voci deprecationis meæ.

**B**enedíctus D E V S, \* qui non amôuit oratiônem meam, & misericórdiam suam à me.

### ORATIO.

**S**Vpplices deprecâmur Dómine, cui debetur omnis laus, glória, & iubilatio, vt ánimas nostras peccátis mórtuas per tuam grátiam iustificâre & viuificâre dignêris; vt tibi efficiântur holocáuſtum purum & suâue, & sic mactâtis vítiis post huius sæculi angústias dedúcere dignêris in refrigerium paradíſi, agminibúſque iúngere Sanctorum.

PSAL-



## PSALMVS LXVI.

*Quo petitur ut DEI misericordia,  
& Christi gratia ac salus in nos, om-  
nesque homines effundatur.*

**D**EVs misereatur nostri, & be-  
nedicat nobis: \* illúminet  
vultum suum super nos, & mise-  
reatur nostri.

**V**t cognoscâmus in terra viam  
tuam: \* in omnibus Géntibus salu-  
tare tuum.

**C**onfiteantur tibi pópuli DEVS: \*  
confiteantur tibi pópuli omnes.

**L**ætentur & exúltent Gentes: \*  
quóniam iúdicas pópulos in æqui-  
tate, & Gentes in terra dirigis.

**C**onfiteantur tibi pópuli DEVS:  
confiteantur tibi pópuli omnes: \*  
terra dedit fructum suum.

**B**enedicat nos DEVS, DEVS  
noster, benedicat nos DEVS: \*

N 4

&amp;

& métuant eum omnes fines terræ.

## ORATIO.

**I**llúmina, quæsumus, Dómine, vultum tuum super nos, & benedictiônem perpétuam nobis largíre, vt confiténtes te trinum & vnum, in timóre sancto lætémur, & exultémus in salutári nostro IESV CHRISTO: quem vt in humilitáte carnis venísse cognóuimus, ita ventûrum iudicem super nos cleméntem sentiâmus. Amen.

## PSALMVS LXVII.

*Quo oratur pro Ecclesiæ propagatione, victoria & triumpho de Paganis, Turcis & hereticis.*

**E**Xúrgat DEVS, & dissipéntur inimíci eius: \* & fúgiant qui odérunt eum, à fácie eius.

**S**icut déficit fumus, deficiant: \*  
sicut



sicut fluit cera à fácie ignis, sic péreant peccatóres à fácie DEI.

**E**t iusti epuléntur, & exúltent in conspéctu DEI: \* & delecténtur in lætítia.

**C**antáte DEO, psalmum dícite nómini eius: \* iter fácite ei qui ascéndit super occâsum: Dóminus nomen illi.

**E**xultáte in conspéctu eius, \* turbabúntur à fácie eius, patris orphánorum, & iúdicis viduârum.

**D**EVS in loco sancto suo: \* DEVS, qui inhabitâre facit vnûs moris in domo:

**Q**ui edúcit vinctos in fortitúdine, \* simíliter eos qui exásperant, qui hábitant in sepúlchris.

**D**EVS cùm egrederêris in conspéctu pópuli tui, \* cùm pertransíres in deserto:

N 5

Terra

**T**erra mota est, étenim cæli distillauerunt à fâcie DEI Sínai,\* à fâcie DEI Israël.

**P**lúuiam voluntáriam segregâbis DEVS hereditâti tuæ:\* & infirmâta est,tu verò perfecísti eam.

**A**nimália tua habitábunt in ea:\* parásti in dulcédine tua páuperi,DEVS.

**D**óminus dabit verbum euangelizántibus,\* virtûte multa.

**R**ex virtûtum dilécti dilécti:\* & speciëi domus diuidere spólia.

**S**i dormiâtis inter médios cle-ros, pennæ colúmbæ deargentâ-  
tæ,\* & posteriôra dorsi eius in pal-  
lôre auri.

**D**um discérnit cæléstis reges su-  
per eam,niue dealbabúntur in Sel-  
mon:\* mons DEI,mons pinguis.

**M**ons coagulâtus, mons pin-  
guis:\*



guis: \* vt quid suspicámini montes  
coagulátos?

**M**ons, in quo beneplácitum est  
DEO habitâre in eo: \* étenim Dó-  
minus habitâbit in finem.

**C**urrus DEI decem míllibus  
múltiplex, míllia lætántium: \* Dó-  
minus in eis in Sina in sancto.

**A**scendísti in altum, cepísti ca-  
ptiuitâtem: \* accepísti dona in ho-  
mínibus:

**E**tenim non credéntes, \* inha-  
bitâre Dóminum DEVM.

**B**enedíctus Dóminus die quo-  
tidie: \*. próspere iter fáciat nobis  
DEVS salutárium nostrórum.

**D**EVS noster, DEVS saluos fa-  
ciéndi: \* & Dómini Dómini éxi-  
tus mortis.

**V**erúmtamen DEVS confrín-  
get cápita inimicórum suórum: \*  
vérti-

vérticem capílli perambulántium  
in delíctis suis.

**D**ixit Dóminus : Ex Basan con-  
uértam , \* conuértam in profún-  
dum maris:

**V**t intingâtur pes tuus in sân-  
guine: \* lingua canum tuórum ex  
inimícis, ab ipso.

**V**idérunt ingrêssus tuos DEVS,\*  
ingrêssus DEI mei: Regis mei qui  
est in sancto.

**P**ræuenérunt príncipes coniún-  
cti psalléntibus,\* in médio iuuen-  
culârum tympanistriârum.

**I**n ecclésiis benedícite D E O  
Dómino,\* de fôntibus Israël.

**I**bi Béniamin adolescéntulus,\*  
in mentis excéssu.

**P**ríncipes Iuda, duces eórum:\*  
príncipes Zábulon , príncipes  
Néphthali.

**M**anda



**M**anda DEVS virtúti tuæ: \* confirma hoc DEVS, quod operâtus es in nobis.

**A** templo tuo in Ierúsalem, \* tibi offerent reges múnera.

**I**ncrepa feras arúndinis, congregatio taurôrum in vaccis populôrum: \* vt excludant eos qui probati sunt argénto.

**D**íssipa Gentes, quæ bella volunt: vénient legáti ex Ægypto: \* Æthiopia præueniet manus eius DEO.

**R**egna terræ, cantâte DEO: \* psállite Dómino.

**P**sállite DEO, qui ascéndit super cælum cæli, \* ad Oriéntem.

**E**cce dabit voci suæ vocem virtutis, date glóriam DEO super Israël, \* magnificéntia eius, & virtus eius in núbibus.

**Mirá-**

**M**irabilis DEVS in sanctis suis,  
DEVS Israël ipse dabit virtutem  
& fortitudinem plebi suæ, bene-  
dictus DEVS.

## ORATIO.

**D**omine IESV CHRISTE,  
DEVS salutarium nostrorum,  
cuius nomen sit benedictum hodie  
& quotidie, qui ascendisti super  
cælum cæli, ad dexteram DEI  
Patris, denuò venturus ad iudicandum  
in núbibus, cum potestate  
magna & maiestate mirabili, edu-  
ce nos vinctos in peccatis, in fortitu-  
dine iustificationis tuæ: vt dealbê-  
mur per remissionem peccatorum  
super niuem, ádeo vt benepláci-  
tum sit tibi habitare in nobis, &  
nos in te. Amen.

PSAL-



## PSALMVS LXVIII.

Hoc Psalmò uti potest Christianus,  
extremè à suis afflictus ob zelum  
fidei & pietatis.

**S** Aluum me fac DEVS: \* quò-  
niam intrauerunt aquæ vsque  
ad animam meam.

**I**nfixus sum in limo profundus: \*  
& non est substantia.

**V**eni in altitudinem maris: \* &  
tempestas demersit me.

**L**aboravi clamans, raucæ fa-  
ctæ sunt fauces meæ: \* defecerunt  
oculi mei, dum spero in DEVM  
meum.

**M**ultiplicati sunt super capil-  
los capitis mei, \* qui oderunt me  
gratis.

**C**onfortati sunt qui persecuti  
sunt me inimici mei iniuste: \* quæ  
non rapui, tunc exolvebam.

**D**EVS

**D**EVS tu scis infipientiam meam: \* & delicta mea à te non sunt abscondita.

**N**on erubescant in me; qui expectant te, Dómine, \* Dómine virtutum.

**N**on confundantur super me \* qui quærunt te, DEVS Israël.

**Q**uóniam propter te sustinui opprobrium: \* operuit confusio faciem meam.

**E**xtraneus factus sum fratribus meis, \* & peregrinus filiis matris meæ.

**Q**uóniã zelus domus tuę comedit me: \* & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.

**E**t operui in ieiunio animam meam: \* & factum est in opprobrium mihi.

**E**t posui vestimentum meum cilí-



cilícium: \* & factus sum illis in parabolam.

**A**duersum me loquebantur qui sedebant in porta: \* & in me psalébant qui bibébant vinum.

**E**go verò oratióem meam ad te Dómine: \* tempus benepláciti  
DEVS.

**I**n multitudíne misericórdiæ tuę exáudi me, \* in veritáte salútis tuę.

**E**ripe me de luto, vt non infígar: \* líbera me ab iis qui odérunt me, & de profúndis aquárum.

**N**on me demérgat tempéstas aquæ, neque absórbeat me profúndum: \* neque úrgeat super me púteus os suum.

**E**xáudi me Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: \* scúndum multitudínem miseratiónum tuárum réspice in me.

O

E. t

**E**t ne auertas faciē tuam a  
pūero tuo: \* quōniam trībulor, ve-  
lōciter exāudi me.

**I**ntēde animæ meæ, & libera  
eam: \* propter inimicos meos  
ēripe me.

**T**u scis improperium meum, &  
confusiōem meam, \* & reueren-  
tiam meam.

**I**nconspēctu tuo sunt omnes qui  
trībulant me, \* improperium expe-  
ctāuit cor meum, & misēriam.

**E**t sustinui qui simul contrista-  
rētur, & non fuit: \* & qui consola-  
rētur, & non inuēni.

**E**t dederunt in escam meā fel: \*  
& in siti mea potauerūt me aceto.

**F**iat mensa eōrum coram ipsis in  
lāqueum, \* & in retributiōes, & in  
scādalum.

**O**bscurēntur ōculi eōrum ne  
videant: \*



videant: \* & dorsum eorum semper incurua.

**E**ffunde super eos iram tuam: \* & furor iræ tuæ cōprehēdat eos.

**F**iat habitatio eorum deserta: \* & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

**Q**uoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: \* & super dolorem vūlnerum meorum addiderunt.

**A**ppōne iniquitatem super iniquitatem eorum: \* & non intrent in iustitiam tuam.

**D**eleantur de Libro viuētiū: \* & cum iustis non scribantur.

**E**go sum pauper & dolens: \* salus tua DEVS suscēpit me.

**L**audābo nomen DEI cum cāntico: \* & magnificābo eum in laude:

**E**t placēbit DEO super vitulum  
O 2 lum

lum nouellum: \* cónua producén-  
tem & úngulas.

**V**ídeant páuperes & læténtur: \*  
quærite D E V M, & viuet ánima  
vestra:

**Q**uóniam exaudíuit páuperes  
Dñs: \* & vinctos suos non despéxit.

**L**audent illum cæli & terra, \*  
mare, & ómnia reptília in eis.

**Q**uóniam D E V S saluam fáciét  
Sion: \* & ædificabúntur ciuitátes  
Iuda.

**E**t inhabitábunt ibi, \* & heredi-  
tâte acquírent eam.

**E**t semen seruôrum eius possi-  
débit eam, \* & qui díligunt nomen  
eius, habitábunt in ea.

### ORATIO.

**O**Mnípotens misericors DEVS,  
qui damnátam natûram hu-  
mánam per mortem tuam beatifi-  
cásti,



cásti, pérditam liberásti, mórtuam  
 viuificásti; te deprecámur, vt nos  
 seruos tuos, quos redemísti per fel-  
 lis amaritúdinem, per acéti asperi-  
 tatem, per crucis supplícia, per cla-  
 uórum vúlnera, per resurrectiōnis  
 glóriam, custodíre dignêris in hoc  
 sæculo nequam, vt tandem cum  
 eléctis tuis hereditémus vitam æ-  
 térnā. Per CHRISTVM DÓ-  
 minum nostrum. Amen.

## PSALMVVS LXIX.

*Quo Psalmo imploratur auxilium.*

*DEI contra demones, & hostes,  
 animæ insidiantes.*

**D**EVS in adiutórium meum  
 inténde: \* Dómine ad adiu-  
 uándum me festína.

**C**onfundántur, & reuereántur,\*  
 qui quærunť ánimam meam:

**A**uertántur retrórsim, & eru-  
 bescant,\*

O 3

bescant,\*

béscant, \* qui volunt mihi mala.

**A**uertántur statim erubescén-  
tes: \* qui dícunt mihi: Euge, euge.

**E**xúltent & læténtur in te om-  
nes qui quærunt te; & dicánt sem-  
per, Magnificêtur Dóminus, qui  
diligunt salutâre tuum.

**E**go verò egênus, & pauper  
sum: \* DEVS ádiuua me.

**A**diûtor meus, & liberâtor meus  
es tu: \* Dómine ne morêris.

### ORATIO.

**A**Diûtor noster DEVS, libera nos  
egénos & páuperes ab ómni-  
bus coinquinamētis ánimę nostrę,  
neque dífferas auxiliári in témpore  
tribulatiônis, miseratione tua sóli-  
ta, qui exultâmus in te, & dilígimus  
salutâre tuum, Dóminum nostrum  
IESVM CHRISTVM, qui est única  
salus & vita nostra. Amen.

PSAL-



## P S A L M V S L X X.

Hoc Psalmo uti possunt senes boni  
& debiles, ut continuum D E I  
contra demones & hostes auxi-  
lium efflagitent.

**I**N te Dómine speráui, non con-  
fundar in ætérnum: \* in iustítia  
tua líbera me, & éripe me.

**I**nclína ad me aurem tuam, \* &  
salua me.

**E**sto mihi in D E V M protectô-  
rem, & in locum munítum: \* vt  
saluum me fácias.

**Q**uóniam firmaméntum meû,\*  
& refúgium meum es tu.

**D**EVS meus éripe me de manu  
peccatóris, \* & de manu contra le-  
gem agéntis, & iníqui.

**Q**uóniam tu es patiéntia mea  
Dómine: \* Dómine spes mea à iu-  
uentúte mea.

O 4

**I**n

**I**n te confirmatus sum ex útero: \* de ventre matris meæ tu es protector meus:

**I**n te cantatio mea semper: \* tamquam prodígium factus sum multis: & tu adiutor fortis.

**R**epleatur os meum laude, vt cantem glóriam tuam: \* tota die magnitudinem tuam.

**N**e proicias me in témpore senectutis: \* cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.

**Q**uia dixerunt inimici mei mihi: \* & qui custodiébant animam meam, consiliũ fecerunt in vnum,

**D**icentes: **D**EVS dereliquit eum, persequimini, & cõprehendite eum: \* quia non est qui eripiat.

**D**EVS ne elongeris à me: \* **D**EVS meus in auxilium meum respice,

**C**onfundantur, & deficiant detrahén-



trahéntes ánimæ meæ: \* operiántur  
confusiône & pudôre, qui quærunt  
mala mihi.

**E**go autem semper sperâbo: \* &  
adiíciam super omnem laudem  
tuam.

**O**s meum annuntiâbit iustítiam  
tuam: \* tota die salutâre tuum.

**Q**uóniam non cognóui littera-  
tûram, introibo in poténtias Dó-  
mini: \* Dómine memorâbor iu-  
stítie tuæ solûs.

**D**EVS docuísti me à iuventûte  
mea: \* & vsque nunc pronuntiâbo  
mirabilia tua.

**E**t vsque in senéctam & sénium\*  
DEVS ne derelínquas me,

**D**onec annúntiem bráchium  
tuum \* generatióni omni, quæ ven-  
tûra est:

**P**oténtiam tuam, & iustítiam

**O** s tuam

tuam DEVS vsque in altíssima, quæ  
fecísti magnália : \* DEVS quis  
símilis tibi ?

**Q**uantas ostendísti mihi tribu-  
latiónes multas, & malas : & con-  
uérſus viuificásti me : \* & de abyſſis  
terræ iterùm reduxísti me.

**M**ultiplicásti magnificéntiam  
tuam : \* & conuérſus conſolátus es  
me.

**N**am & ego confitêbor tibi in  
vafis psalmi veritâtem tuam : \*  
DEVS psallam tibi in cíthara, san-  
ctus Israël.

**E**xultábunt lábia mēa, cūm can-  
távero tibi : \* & ánima mea, quam  
redemísti.

**S**ed & lingua mea tota die me-  
ditábitur iustítiam tuam, \* cūm  
confúsi & reuériti fúerint qui quæ-  
runt mala mihi.

**ORA-**



## ORATIO.

**D**EVS, qui sperantes in te damnari æternis cõfusiõnibus non páteris, sis protéctor noster contra ómnia diaboli machinaménta, firmaméntum & refúgium nostrũ: & grátia tua sic nos præueniat & sequatur, vt illa semper meditêmur in corde, atque compleâmus ópere, quæ beneplácita sunt tuæ diuinæ voluntáti, cui est iustítia, poténtia, virtus, & impériũ in sæcula. Amen.

## PSALMVS LXXI.

*Quo rogatur, vt Christi regnum per Indos & Gentes propagetur.*

**D**EVS iudícium tuũ Regi da: \* & iustítiã tuam filio Regis: Iudicâre pópulum tuum in iustítia, \* & páuperes tuos iudício.

Suscípiant montes pacem pópulo: \* & colles iustítiam.

**I**udi-

**I**udicabit páuperes pópuli, & saluos fáciet filios páuperum: \* & humiliábit calumniatórem.

**E**t permanêbit cum sole, & ante lunam, \* in generatiône & generatióem.

**D**escéndet sicut plúuia in vellus: \* & sicut stillicidia stillántia super terram.

**O**riêtur in diêbus eius iustítia, & abundántia pacis: \* donec auferâtur luna.

**E**t dominábitur à mari vsque ad mare: \* & à flúmine vsque ad términos orbis terrârum.

**C**oram illo prócident Æthíopes: \* & inimíci eius terram lingent.

**R**eges Tharsis, & ínsulæ múnera ófferent: \* reges Arabum, & Saba dona addúcent:

**E**t



**E**t adorábunt eum omnes reges terræ: \* omnes Gentes séruiant ei.

**Q**uia liberábit páuperem à poténte: \* & páuperem, cui non erat adiutor.

**P**arcet páuperi & ínopi: \* & ánimas páuperum saluas fáciet.

**E**x vfúris & iniquitatē rédimet ánimas eórum: \* & honorábile nomen eórum coram illo.

**E**t viuet, & dábitur ei de auro Arábiæ, & adorábunt de ipso semper: \* tota die benedícet ei.

**E**t erit firmaméntum in terra in summis móntium, superextollétur super Líbanum fructus eius: \* & florébunt de ciuitáte sicut fœnum terræ.

**S**it nomen eius benedíctum in sæcula: \* ante solem pérmanet nomen eius.

**E**t

**E**t benedicéntur in ipso omnes tribus terræ: \* omnes Gentes magnificábunt eum.

**B**enedíctus Dóminus D E V S Israél: \* qui facit mirabília solus.

**E**t benedíctum nomen maiestátis eius in ætérnum: \* & replébitur maiestáte eius omnis terra: fiat, fiat.

## O R A T I O.

**D**omine I E S V C H R I S T E, qui inuisíbilis Deitáte, factus es in humanitáte visíbilis, qui sicut plúuia in vellus, ita in úterú virgínâlem descendísti; te humíliter deprecâmur, vt saluú fácias pópulum tuum Christiânium in abundántia pacis, nihil de se præsuméntem, sed tuam grátiam implorántem per nomen tuum benedíctum, quod replésti maiestáte in ætérnum.

P S A L -



## PSALMVS LXXII.

*Quo orat Christianus, ne impiorum  
prosperitatem breuē perituram  
ambiat, sed uni DEO firmiter ad-  
hæreat & seruiat.*

**Q**uam bonus Israël DEVS \*  
his qui recto sunt corde!

**M**ei autem pænē moti sunt pe-  
des: \* pænē effusi sunt gressus mei.

**Q**uia zelāui super iníquos, \* pa-  
cem peccatōrum videns.

**Q**uia non est respēctus morti  
eōrum: \* & firmamētum in pla-  
ga eōrum.

**I**n labōre hōminum non sunt, \*  
& cum homínibus non flagella-  
buntur:

**I**deò tenuit eos supérbia, \* opér-  
ti sunt iniquitatē & impietatē sua.

**P**ródiit quasi ex ádipe iníquitas  
eōrū: \* transierūt in affectū cordis.

**C**ogi-

**C**ogitauerunt, & locuti sunt nequitiam: \* iniquitatem in excelsis locuti sunt.

**P**osuerunt in caelum os suum: \* & lingua eorum transiuit in terra.

**I**deo conuertetur populus meus hic: \* & dies pleni inuenietur in eis.

**E**t dixerunt: Quomodo scit Deus, \* & si est scientia in excelsis?

**E**cce ipsi peccatores, & abundantes in saeculo, \* obtinuerunt diuitias.

**E**t dixi: Ergo sine causa iustificauit cor meum, \* & laui inter innocentes manus meas:

**E**t fui flagellatus tota die, \* & castigatio mea in matutinis.

**S**i dicebam: Narrabo sic: \* ecce nationem filiorum tuorum reprobauit.

**E**xistimabam ut cognoscerem hoc, \* labor est ante me.

**D**onec



**D**onec intrem in sanctuárium  
DEI: \* & intélligam in nouíssimis  
eórum.

**V**erúmtamen propter dolos po-  
suísti eis: \* deiecísti eos dum alle-  
uaréntur.

**Q**uómodo facti sunt in desola-  
tiónem, súbitò defecérunt: \* perie-  
runt propter iniquitâtem suam.

**V**elut sômnium surgéntium Dó-  
mine, \* in ciuitâte tua imáginem  
ipsórum ad níhilum rédiges.

**Q**uia inflammátum est cor  
meum, & renes mei commutáti  
sunt: \* & ego ad níhilum redáctus  
sum, & nescíui.

**V**t iumentum factus sum apud  
te: \* & ego semper tecum.

**T**enuísti manú dexteram meam:  
& in voluntâte tua deduxísti me, \*  
& cum glória suscepísti me.

P

Quid

LIBROS  
DEL DR.  
L. MARCO

**Q**uid enim mihi est in cælo? \*  
& à te quid vólui super terram?

**D**efecit caro mea, & cor meum: \*  
D E V S cordis mei, & pars mea  
D E V S in ætérnum.

**Q**uia ecce, qui elóngant se à te,  
peribunt: \* perdidisti omnes, qui  
fornicántur abs te.

**M**ihi autem adhærere D E O bo-  
num est: \* pónere in Dómino D E O  
spem meam:

**V**t annúntiem omnes prædica-  
tiones tuas, \* in portis fíliæ Sion.

## O R A T I O.

**D**irige Dómine gressus, ópera,  
& actus nostros, ne fornicê-  
mur à te, ne præcipitêmur à volun-  
tâte tua diuína ad lapsum, ne trans-  
eâmus in afféctû cordis illícitum,  
& obruâmur iniquitâte & impie-  
tâte nostra, & pereâmus in ea; sed  
concède



concède nos tibi iúgiter adhærere,  
in te totam virtutem spei nostræ  
defigere, vt mereâmur tandem  
laudes tuas in portis æternâlibus  
decantâre. Amen.

## PSALMVS LXXIII.

*Quo oratur, vt Ecclesia à Turcarum  
& hereticorum oppressione libe-  
retur.*

**V**T quid DEVS repulisti in  
finem: \* iratus est furor tuus  
super oues pâscuæ tuæ?

**M**emor esto congregatiônis  
tuæ, \* quam possedisti ab iníto.

**R**edemisti virgam hereditâtis  
tuæ: \* mons Sion, in quo habitasti  
in eo.

**L**eua manus tuas in supérbias  
eorum in finem: \* quanta malignâ-  
tus est inimicus in sancto?

**E**t gloriâti sunt qui odérunt

P 2

te: \*

te: \* in médio solemnitàis tuæ.

**P**osuérunt signa sua, signa: \* & non cognouérunt sicut in éxitu super summum.

**Q**uasi in silua lignôrum secûribus excidérunt iánuas eius in idípsum: \* in secûri & áscia deiecerunt eam,

**I**ncendérunt igni Sanctuárium tuum: \* in terra polluérunt tabernáculum nóminis tui.

**D**ixerunt in corde suo cognátio eôrum simul: \* Quiéscere faciâmus omnes dies festos **D E I** à terra.

**S**igna nostra non vídimus, iam non est Prophêta: \* & nos non cognóscet ámpliùs.

**V**squequò **D E V S** improperábit inimîcus: \* irrîtat aduersárius nomen tuum in finem?

**V**t quid auértis manum tuam,  
&



& dexteram tuam, \* de médio sinu tuo in finem?

**D**EVS autem Rex noster ante sæcula : \* operâtus est salûtem in médio terræ.

**T**u confirmâsti in virtûte tua mare : \* contribulâsti cápita draconum in aquis.

**T**u confregísti cápita draconis : \* dedísti eum escam pópulis Æthiopum.

**T**u dirupísti fontes , & torrêntes : \* tu siccâsti flúuios Æthan.

**T**uus est dies, & tua est nox : \* tu fabricâtus es auroram & solem.

**T**u fecísti omnes términos terræ : \* æstâtem & ver tu plasmâsti ea.

**M**emor esto huius, inimîcus improperâuit Dómino : \* & pópulus insípiens incitâuit nomen tuum.

**N**e tradas béstijs ánimas confi-  
téntes tibi, \* & ánimas páuperum  
tuôrum ne obliuiscâris in finem.

**R**éspice in testaméntum tuum: \*  
quia repléti sunt, qui obscuráti  
sunt, terræ dómibus iniquitátum.

**N**e auertâtur húmilis factus  
confûsus: \* pauper & inops laudá-  
bunt nomen tuum.

**E**xúrge D E V S, iúdica causam  
tuam: \* memor esto impropériô-  
rum tuôrum, eôrum quæ ab infi-  
piénte sunt tota die.

**N**e obliuiscâris voces inimicô-  
rum tuôrum: \* supérbia eôrum, qui  
te odérunt, ascéndit semper.

### O R A T I O.

**D**omine IESV CHRISTE, Rex  
noster ante ómnia sæcula gé-  
nitus, & in témpore homo factus,  
qui operátus es salûtem humáni  
géneris



généris in médio terræ ; te sup-  
plices deprecâmur , ne repéllas  
nos in finem , qui sumus oues pâ-  
scuæ tuæ, quas effusiône sânguinis  
tui redemísti, sed húmiles te quæ-  
réntium voces propitiâtus exâudi.  
Amen.

## PSALMVS LXXIV.

*Quo petitur crebra iudicij inferni que  
memoria , ut anima in timore &  
tremore DEO seruiat.*

**C**onfitébimur tibi DEVS :  
confitébimur, & inuocâbi-  
mus nomen tuum.

**N**arrâbimus mirabilia tua :  
cùm accépero tempus , ego iustí-  
tias iudicâbo.

**L**iquefacta est terra , & omnes  
qui hábitant in ea : \* ego confir-  
mâui colúmnas eius.

**D**ixi iníquis: Nolíte iníquè áge-

P 4

re:\*

re: \* & delinquéntibus: Nolíte exaltâre cornu:

**N**olíte extóllere in altum cornu vestrum: \* nolíte loqui aduérſus DEVM iniquitâtem.

**Q**uia neque ab Oriénte, neque ab Occidénte, neque à defértis móntibus: \* quóniam DEVS iudex est.

**H**unc humíliat, & hunc exáltat: \* quia calix in manu Dómini vini meri plenus mifto.

**E**t inclinâuit ex hoc in hoc: verúm tamen fæx eius non est exinaníta: \* bibent omnes peccatóres terræ.

**E**go autem annuntiâbo in ſæculum: \* cantâbo DEO Iacob.

**E**t ómnia córnua peccatórum confríngam: \* & exaltabúntur cornua iuſti.

**ORA-**



## ORATIO.

**D**EVS, qui iustitias iudicâbis,  
 redditurus vnicuique secun-  
 dum ôpera sua, miserere nobis pec-  
 catôribus tibi confitêntibus, &  
 diuînum nomen tuum inuocân-  
 tibus. Conserua nos, ne delin-  
 quâmus, ne iniquè agâmus, ne  
 exaltêmus in supérbia cornu no-  
 strum, de nobis ipsis præsumén-  
 do; vt sic tandem de calice vini  
 meri & gâudij pleni bíbere valeâ-  
 mus in beatitúdine ætérna. Per  
 CHRISTVM.

## PSALMVS LXXV.

*Quo oratur, vt Ecclesiæ hostes  
 conterantur.*

**N**Otus in Iudæa DEVS: \* in Is-  
 raël magnum nomen eius.  
 Et factus est in pace locus eius: \*  
 & habitatio eius in Sion.

P 5

I bi

**I**bi cōfrēgit potēntias arcuum:  
scutum, gládium, & bellum.

**I**llúminans tu mirábiliter à  
móntibus ætérnis: \* turbáti sunt  
omnes insipiētes corde.

**D**ormiérunt somnum suum: \*  
& nihil inuenérunt omnes viri di-  
uitiárum in mánibus suis.

**A**b increpatióne tua **D**EVS Ia-  
cob \* dormitauérunt qui ascendé-  
runt equos.

**T**u terríbilis es, & quis resístet  
tibi? \* ex tunc ira tua.

**D**e cælo audítum fecísti iudí-  
cium: \* terra trémuit & quiēuit,

**C**ùm exúrgeret in iudícium  
**D**EVS: \* vt saluos fáceret omnes  
mansuétos terræ.

**Q**uóniam cogitatio hóminis  
confitébitur tibi: \* & relíquiæ cogi-  
tatiōis diem festum agent tibi.

**V**ouēte,



Vouête, & réddite Dómino  
DEO vestro: \* omnes qui in cir-  
cúitu eius affértis múnera,

Terríbili & ei qui aufert spíri-  
tum príncipum, \* terríbili apud  
reges terræ.

## O R A T I O.

TERRÍBILIS DEVS, cui résistere  
nemo potest, cùm sis Rex re-  
gum, & Dóminus dominántium,  
fac tranqúillum cor nostrum &  
pacátum coram te, vt sit habitatio  
tua in nobis; atque illuminâre di-  
gnêris nos insipientes, vt votis ac  
munéribus te terríblem DEVM  
placâre studeâmus, & præsentia  
contemnêntes, futûram glóriam  
inquirâmus. Amen.

PSAL-

*Quo petitur fides, & spes diuinæ providentiæ, toties in suos declarata, contra tentationes diffidentiae, pusillanimitatis & scrupulorum.*

**V**oce mea ad Dóminum clamáui: \* voce mea ad DEVM, & inténdit mihi.

**I**n die tribulatiónis meæ DEVM exquisíui, mánibus meis nocte contra eum: \* & non sum decéptus.

**R**énuit consolári ánima mea, \* memor fui DEI, & delectátus sum, & exercitátus sum: & defécit spíritus meus.

**A**nticipauérunt vigílias óculi mei: \* turbátus sum, & non sum locútus.

**C**ogitáui dies antíquos: \* & annos ætérnos in mente hábui.

**E**t meditátus sum nocte cum corde



corde meo,\* & exercitâbar, & scopêbam spîritum meum.

**N**umquid in ætérnum proiiciet DEVS: \* aut non appônet vt complacítior sit adhuc?

**A**ut in finem misericórdiam suam abscíndet,\* à generatiône in generatióem?

**A**ut obliuiscêtur miseréri DEVS?\* aut continêbit in ira sua misericórdias suas?

**E**t dixi, Nunc cœpi: \* hæc mutatio dexteræ Excélsi.

**M**emor fui óperum Dómini: \* quia memor ero ab inítio mirabílium tuórum.

**E**t meditâbor in ómnibus operibus tuis: \* & in adinuentiónibus tuis exercêbor.

**D**EVS in sancto via tua: quis DEVS magnus sicut DEVS noster? \*

tu

tu es D E V S, qui facis mirabília.

**N**otam fecísti in pópulis virtutem tuam : \* redemísti in bráchio tuo pópulum tuum , filios Iacob, & Ioseph.

**V**idérunt te aquæ DEVS, vidérunt te aquæ : \* & timuérunt, & turbatæ sunt abyssi.

**M**ultitúdo sónitus aquârum : \* vocem dedérunt nubes.

**E**tenim sagittæ tuæ tránseunt : \* vox tonítrui tui in rota.

**I**lluxérunt coruscationes tuæ orbi terræ : \* commôta est, & contrémuit terra.

**I**n mari via tua , & fémitæ tuæ in aquis multis : \* & vestígia tua non cognoscéntur.

**D**eduxísti sicut oves pópulum tuum, \* in manu Moyfi & Aaron.

ORA-



## ORATIO.

**D**omine IESV CHRISTE, qui es  
 via in exémplo, véritas in pro-  
 missis, vita in præmio, ne proicias  
 in ætérnum à tua grátia & consola-  
 tióne, quos creásti & redemísti, ne  
 contíneas in ira misericórdias tuas.  
 Sed deduc pópulū tuum Christiā-  
 num, sicut oues in caulas, per sēmi-  
 tas mandatōrum tuōrum, ad con-  
 fōrtium beatōrum. Qui cum Patre  
 & Spírítu sancto viuis & regnas, per  
 ómnia sæcula sæculōrum. Amen.

## PSALMVS LXXVII.

*Quo anima petit cognitionem, memo-  
 riam, & gratitudinem beneficio-  
 rum DEI, tum Ecclesiæ, tum sibi  
 præstitorum.*

**A**tténdite pópule meus le-  
 gem meam: \* inclinâte au-  
 rem vestrā in verba oris mei.

**A**périam

**A**périamin parábolis os meum: \*  
loquar propositiões ab inítio.

**Q**uanta audiuiimus, & cognó-  
uimus ea: \* & patres nostri narra-  
uérunt nobis.

**N**on sunt occultâta à filiis eô-  
rum: \* in generatiõe áltera.

**N**arrântes laudes Dñi, & virtútes  
eius, \* & mirabília eius quæ fecit.

**E**t fuscitâuit testimónium in Ia-  
cob: \* & legem pósuit in Israël.

**Q**uanta mandâuit pátribus no-  
stris nota fácere ea filiis suis: \* vt  
cognóscat generátio áltera.

**F**ílij qui nascéntur, & exúrgent, \*  
& narrábunt filiis suis,

**V**t ponant in DEO spem suam,  
& non obliuiscántur óperú DEI: \*  
& mandâta eius exquírant.

**N**e fiant sicut patres eôrum: \*  
generátio praua & exásperans:

**G**ene-



**G**eneratio, quæ non diréxit cor suum: \* & non est créditus cum D E O spíritus eius.

**F**ílij Ephrem intendentes & mittentes arcum; \* conuérsi sunt in die belli.

**N**on custodiérunt testaméntum D E I: \* & in lege eius noluerunt ambulâre.

**E**t obliti sunt benefactorum eius, \* & mirabílium eius quæ osténdit eis.

**C**oram pátribus eórum fecit mirabília in terra Ægypti, \* in campo Táneos.

**I**nterrûpit mare, & perdúxit eos: \* & stáruit aquas quasi in vtre.

**E**t dedúxit eos in nube diéi: \* & tota nocte in illuminatióne ignis.

**I**nterrûpit petram in erémo: \*

Q

&amp;

& adacquauit eos velut in abyſſo multa.

**E**t eduxit aquam de petra: \* & deduxit tamquam flumina aquas.

**E**t appoſuerunt adhuc peccare ei: \* in iram excitauerunt Excelfum in inaquofum.

**E**t tentauerunt DEVM in cordibus ſuis: \* vt peterent eſcas animabus ſuis.

**E**t malè locuti ſunt de DEO: \* dixerunt: Numquid poterit DEVS parare menſam in deſerto?

**Q**uoniam percuffit petram, & fluxerunt aquæ, \* & torrentes inundauerunt.

**N**umquid & panem poterit dare, \* aut parare menſam populo ſuo?

**I**deò audiuit Dóminus, & diſtulit, \* & ignis accenſus eſt in Iacob, & ira aſcendit in Iſraël:

**Q**uia



**Q**uia non crediderunt in DEO,\*  
nec sperauerunt in salutari eius:

**E**t mandauit nubibus desuper,\*  
& ianuas cæli aperuit.

**E**t pluit illis manna ad manducandum,\* & panem cæli dedit eis.

**P**anem Angelorum manducauit homo: \* cibaria misit eis in abundantia.

**T**ranstulit Austrum de cælo: \* & induxit in virtute sua Africum.

**E**t pluit super eos sicut puluerem carnes: \* & sicut arenam maris volatilia pennata.

**E**t ceciderunt in medio castrorum eorum: \* circa tabernacula eorum.

**E**t manducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis: \* non sunt fraudati à desiderio suo.

**A**dhuc escæ eorum erant in ore

Q 2

ipsô-

ipsorum: \* & ira DEI ascendit super eos.

**E**t occidit pingues eorum, \* & electos Israël impedivit.

**I**n omnibus his peccauerunt adhuc: \* & non crediderunt in mirabilibus eius.

**E**t defecerunt in vanitate dies eorum: \* & anni eorum cum festinatione.

**C**um occideret eos, quærebant eum: \* & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.

**E**t memorati sunt quia DEVS adiutor est eorum: \* & DEVS excelsus redemptor eorum est.

**E**t dilexerunt eum in ore suo, \* & lingua sua mentiti sunt ei:

**C**or autem eorum non erat rectum cum eo: \* nec fideles habiti sunt in testamento eius.

**I**pse



**I**pse autem est misericors, & propitius fiet peccatis eorum: \* & non disperdet eos.

**E**t abundauit ut auerteret iram suam: \* & non accendit omnem iram suam:

**E**t recordatus est quia caro sunt: \* spiritus vadens, & non rediens.

**Q**uoties exacerbauerunt eum in deserto, \* in iram concitauerunt eum in inaquoso?

**E**t conuersi sunt, & tentauerunt DEVM: \* & sanctum Israël exacerbauerunt.

**N**on sunt recordati manus eius, \* die qua redemit eos de manu tribulantis,

**S**icut posuit in Ægypto signa sua, \* & prodigia sua in campo Taneos.

**E**t conuertit in sanguinem flumina

Q 3

mina

mina eorum,\* & imbres eorum,ne  
bíberent.

**M**isit in eos cœnomyiam, &  
comêdit eos:\* & ranam,& dispér-  
didit eos.

**E**t dedit ærúgini fructus eô-  
rum:\*& labóres eorum locústæ.

**E**t occîdit in grándine víneas eô-  
rum:\* & moros eorum in pruína.

**E**t trádidit grándini iuménta eô-  
rum:\* & possesiônem eorum igni.

**M**isit in eos iram indignatiônis  
suæ:\* indignatiônem, & iram, &  
tribulatiônem;immissiônes per án-  
gelos malos.

**V**iam fecit sēmitæ iræ suæ, non  
pepércit à morte animâbus eô-  
rum:\* & iuménta eorum in morte  
conclûsit.

**E**t percússit omne primogéni-  
um in terra Ægypti:\* primitias  
omnis



omnis labôris eorum in tabernaculis Cham.

**E**t abstulit sicut oves populum suum: \* & perduxit eos tamquam gregem in deserto.

**E**t deduxit eos in spe, & non timuerunt: \* & inimicos eorum operuit mare.

**E**t induxit eos in montem sanctificationis suæ, \* montem, quem acquisiuit dextera eius.

**E**t eiêcit à facie eorum Gentes: \* & forte diuisit eis terram in funiculo distributionis.

**E**t habitare fecit in tabernaculis eorum \* tribus Israël.

**E**t tentauerunt, & exacerbauérunt DEVM excelsum: \* & testimonia eius non custodiérunt.

**E**t auertérunt se, & non seruauerunt pactum: \* quemadmodum

Q 4

patres

patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum.

**I**n iram concitauerunt eum in collibus suis: \* & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.

**A**udiuit DEVS, & spreuit: \* & ad nihilum redëgit valde Israël.

**E**t repulit tabernaculum Silo, \* tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus.

**E**t tradidit in captiuitatem virtutem eorum: \* & pulchritudinem eorum in manus inimici.

**E**t conclûsit in gladio populum suum: \* & hereditatē suam spreuit.

**I**uuenes eorum comedit ignis; \* & virgines eorum non sunt lamentatæ.

**S**acerdotes eorum in gladio ceciderunt: \* & viduæ eorum non plorabântur.

**E**t



**E**t excitatus est tamquam dormiens Dóminus, \* tamquam potens crapulatus à vino.

**E**t percussit inimicos suos in posteriôra: \* oppróbrium sempiternum dedit illis.

**E**t répulit tabernáculū Ioseph: \* & tribum Ephraim non elêgit:

**S**ed elêgit tribum Iuda, \* montem Sion quem dilêxit.

**E**t ædificauit sicut vnicórniū sanctificiū suū in terra, \* quam fundauit in sæcula.

**E**t elêgit Dauid seruum suū, & sūstulit eum de grégibus óuiū: \* de post foetantes accêpit eum,

**P**áscere Iacob seruum suū, \* & Israël hereditatem suam:

**E**t pauit eos in innocentia cordis sui: \* & in intelléctibus manuum suarum dedúxit eos.

Qs

ORA-

**D**EVS, qui mirabilia ópera & beneficia multa olim Iudáico pópulo exhibuísti, in quibus semper ingrati, rebélles & incréduli extiterunt: fac nos pópulum tuum, ex aqua & spírítu renátos, dirígere cor nostrum ad mandáta tua, & exquírere ea, & adhærère sincérè ac piè spírítui tuo, vt tandem vítiis supplantátis, in cælésti Ierúsalem coronêtur.

## PSALMVS LXXVIII.

*Quo oratur DEVS, vt Ecclesiam tueatur contra sæuitiam infidelium & Antichristi.*

**D**EVS venérunt Gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: \* posuérunt Ierúsalem in pomórum custódiam.

**P**osuê-



**P**osuérunt morticina seruorum  
tuorum, escas volatilibus cæli : \*  
carnes sanctorum tuorum bestiis  
terræ.

**E**ffuderunt sanguinem eorum  
tamquam aquam in circúitu Ierú-  
salem : \* & non erat qui sepeliret.

**F**acti sumus opprobrium vicí-  
nis nostris : \* subsannatio & illúsi-  
o his qui in circúitu nostro sunt.

**V**squequò Dómine irascêris in  
finem : \* accendêtur velut ignis ze-  
lus tuus?

**E**ffúnde iram tuam in Gentes,  
quæ te non nouérunt : \* & in re-  
gna, quæ nomen tuum non inuo-  
cauerunt.

**Q**uia comedérunt Iacob : \* &  
locum eius desolauerunt.

**N**e memíneris iniquitatum no-  
strarum antiquarum, citò antíci-  
pent

pent nos misericórdiæ tuæ : \* quia  
páuperes facti sumus nimis.

**A**diuva nos DEVS salutâris no-  
ster : & propter glóriam nóminis  
tui Dómine libera nos : \* & propí-  
tius esto peccátis nostris , propter  
nomen tuum.

**N**e fortè dicant in Géntibus : Vbi  
est DEVS eórum ? \* & innotéscat in  
natióibus coram óculis nostris.

**V**ltio fánguinis seruórum tuó-  
rum qui effúsus est : \* intróeat in  
conspéctu tuo gémitus compedi-  
tórum.

**S**ecúndum magnitúdinem brá-  
chij tui , \* pósside fílios mortifica-  
tórum.

**E**t redde vicínis nostris séptu-  
plum in sinu eórum : \* imprópe-  
rium ipsórum , quod exprobraué-  
runt tibi Dómine.

**N**os



**N**os autem pópulus tuus, & oues páscae tuæ, \* confitebimur tibi in sæculum:

**I**n generatiônem & generatiônem \* annuntiábitur laudé tuam.

## ORATIO.

**N**E reminiscâris Dómine nostrârum iniquitatum priôrum, quia peccáuimus tibi: præueniant celeriter nos miserationes tuæ, cum impoténtes simus ad satisfaciéndum pro peccátis nostris. Quocircà ádiuuâ nos D E V S saluâtor noster, & propítius esto, non propter nos & mérita nostra, sed propter nomen tuum, quod est I E S V S; inuocâtum super pópulum tuum Christiânium, qui sumus oues páscae tuæ. Amen.

PSAL-

## PSALMVS LXXIX.

*Quo oratur DEVS, vt Ecclesiam ab infidelibus aut tyrannis vastatam, pristinae integritati & dignitati restituat.*

**Q**ui regis Israël, inténde: \* qui dedûcis velut ouem Ioseph.

**Q**ui sedes super Chérubim, \* manifestâre coram Ephraim, Bénéiamin, & Manásse.

**E**xcita poténtiam tuam, & veni, \* vt saluos fácias nos.

**D**EVS conuérte nos: \* & osténde faciém tuam, & salui érimus.

**D**ómine DEVS virtûtum, \* quousque irascêris super oratiônem serui tui?

**C**ibâbis nos pane lacrymarum: \* & potum dabis nobis in lácrymis in mensúra.

**P**oluísti nos in contradicţiônem vicínis



vicinis nostris: \* & inimici nostri  
subfannauerunt nos.

**D**EVs virtutum conuerte nos: \*  
& ostende faciem tuam, & salui  
erimus.

**V**ineam de Ægypto transtulisti: \* eiecisti Gentes, & plantasti eam.

**D**ux itineris fuisti in conspectu  
eius: \* plantasti radices eius, & im-  
pleuit terram.

**O**peruit montes umbra eius: \*  
& arbusta eius cedros DEI.

**E**xstendit palmites suos usque ad  
mare: \* & usque ad flumen propa-  
gines eius.

**V**t quid destruxisti maceriam  
eius: \* & vindemiant eam omnes,  
qui prætergrediuntur viam?

**E**xterminavit eam aper de sil-  
ua: \* & singularis ferus depastus  
est eam.

**D**EVs

**D**EVS virtutum conuértere: \*  
réspice de cælo, & vide, & vísita  
vineam istam.

**E**t pérfice eam, quam plantauit  
dextera tua: \* & super filium hómi-  
nis, quem confirmásti tibi.

**I**ncénfa igni, & suffóssa \* ab in-  
crepatióne vultus tui peribunt.

**F**iat manus tua super virum dex-  
teræ tuæ: \* & super filium hóminis,  
quem confirmásti tibi.

**E**t non discédimus à te, viui-  
ficabis nos: \* & nomen tuum in-  
uocabimus.

**D**ómine **D**EVS virtutum con-  
uérte nos: \* & osténde faciém  
tuam, & salui érimus.

## ORATIO.

**D**EVS Pater omnípotens, te  
supplices deprecámur, vt Dó-  
minum nostrum **I**ESVM **C**HRI-  
**S**TVM



STVM, qui est imâgo tua, fácies tua,  
 & illuminátio vultus tui, in quo  
 manes, & qui manet in te, osténde-  
 re nobis dignêris: vt purificátis  
 méntibus nostris dignêtur illábi  
 Saluátor mundi, cui glória & im-  
 périum tecum cum Spíritu sancto  
 in sæcula sæculôrum. Amen.

## PSALMVS LXXX.

*Quo petit psallens gratiam, qua discat  
 in festis DEVM colere, recolendo  
 Christi redemptionem, gratiam, &  
 beneficia sibi aliisque præstita.*

**E**Xultâte DEO adiutori no-  
 stro: \* iubilâte DEO Iacob.

**S**úmte psalmum, & date tym-  
 panum: \* psaltérium iucúndum  
 cum cíthara.

**B**uccinâte in Neomenía tu-  
 ba, \* in insígni die solemnitátis  
 vestræ:

R

Quia

**Q**uia præceptum in Israël est:  
& iudícium D E O Iacob.

**T**estimónium in Ioseph pò-  
fuit illud, cùm exîret de terra Æ-  
gypti: \* linguam quam non nóue-  
rat, audîuit.

**D**iuértit ab onéribus dorsum  
eius: \* manus eius in cóphino ser-  
uierunt.

**I**n tribulatiône inuocásti me, &  
liberáui te: \* exaudíui te in abscón-  
dito tempestátis: probáui te apud  
aquam contradiçãois.

**A**udi pópulus meus, & conte-  
stábor te: \* Israël si audieris me, non  
erit in te deus recens, neque ado-  
rábis deum aliénium.

**E**go enim sum Dóminus DEVS  
tuus, qui edúxi te de terra Ægypti: \*  
diláta os tuum, & implébo illud.

**E**t non audîuit pópulus meus  
vocem



vocem meam: \* & Israël non inténdit mihi.

**E**t dimísi eos secúndum desidéria cordis eôrum, \* ibunt in adinuentiônibus suis.

**S**i pópulus meus audíffet me: \*  
 Israël si in vijs meis ambuláffet:

**P**ro níhilo fórfitan inimícos  
 eôrum humiliáffem: \* & super  
 tribulántes eos misíffem manum  
 meam.

**I**nimíci Dómini mentíti sunt ei: \*  
 & erit tempus eôrum in sæcula.

**E**t cibâuit eos ex ádipe frumén-  
 ti: \* & de petra, melle saturâuit eos.

## ORATIO.

**D**omine DEVS noster, qui per  
 Baptísmi grátiã liberásti nos  
 à sárcina peccatôrum, & deduxísti  
 à ténebris ignorantíæ ad mellí-  
 fluam charitátem petrę, qui CHRIS-

R 2

STVS

STVS est: diláta súpplicum ora ad annuntiándum glóriam tuam, neque dimíttas nos secúndum desideria cordis nostri; sed Ægyptiis opéribus relíctis, nóminis tui confessiône lætémur.

## PSALMVS LXXXI.

*Quo petitur, ut DEVS iniquos iudices & iudicia auferat & reformet.*

**D**EVS stetit in synagóga deórum: \* in médio autem deos diiúdicat.

**V**squequò iudicâtis iniquitatem: \* & fácies peccatórum súmitis?

**I**udicâte egéno, & pupíllo: \* húmitem, & páuperem iustificâte.

**E**rípitem páuperem: \* & egénium de manu peccatóris liberâte.

**N**esciérunt, neque intellexérunt, in ténebris ámbulant: \* mouebúntur ómnia fundaménta terræ.

**E**go



Ego dixi: Dij estis, \* & filij Excelsi omnes.

Vos autem sicut homines moriemini: \* & sicut vnus de principibus cadetis.

Surge DEVS, iudica terram: \* quoniam tu hereditabis in omnibus Gentibus.

## ORATIO.

**P**Ræsta, quæsumus Dómine, secundum præceptum tuum ab iniquitatis iudicio declinare, pauperumque necessitatibus subuenire, egenum & pupillum à calumniatore & violentia impiorum liberare; vt tandem mereamur filiorum tuorum número in cælis copulari, quoniam tibi potestas, & imperium in sæcula. Amen.

## PSALMVS LXXXII.

*Quo oratur, vt DEVS vlciscatur & confundat oppressores Ecclesia.*

**D**EVS, quis similis erit tibi? \*  
ne taceas, neque compescaris **D**EVS:

**Q**uoniam ecce inimici tui sonuerunt: \* & qui oderunt te, extulerunt caput.

**S**uper populum tuum malignauerunt consilium: \* & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.

**D**ixerunt: Venite, & disperdamus eos de gente: \* & non memoretur nomen Israël vltra.

**Q**uoniam cogitauerunt vnanímiter: \* simul aduersum te testamentum disposuerunt, tabernacula Idumæorum & Ismahelitæ:

**M**oab, & Agaréni, Gebal, & Ammon, & Amalec: \* alienígenæ



næ cum habitantibus Tyrum.

**E**tenim Assur venit cum illis: \*  
facti sunt in adiutorium filiis Lot.

**F**ac illis sicut Mádian, & Sísaræ: \*  
sicut Iabin in torrente Cisson.

**D**isperiérunt in Endor: \* facti  
sunt vt stercus terræ.

**P**one principes eorú sicut Oreb  
& Zeb, \* & Zébee, & Sálmana:

**O**mnes principes eorum: \* qui  
dixerunt: Hereditate possideamus  
sanctuárium Dei.

**D**EVS meus pone illos vt ro-  
tam: \* & sicut stipulam ante fá-  
ciem venti.

**S**icut ignis, qui combûrit fil-  
uam: \* & sicut flamma combûrens  
montes:

**I**ta persequêris illos in tempestâ-  
te tua: \* & in ira tua turbâbis eos.

**I**mples fácies eorum ignomí-  
nia, \*

R 4

nia, \* & quærent nomen tuum,  
Dómine.

**E** rubéscant, & conturbéntur in  
sæculum sæculi: \* & confundántur  
& péreant.

**E**t cognóscant quia nomen tibi  
Dóminus: \* tu solus Altíssimus in  
omni terra.

### ORATIO.

**D**EVS, qui ómnia creásti, nosti  
ac moderâris, qui solus altís-  
simus es in omni terra, & tandem  
terribilis iudex apparêbis in maie-  
stâte horrénda: fac nos hîc quære-  
re nomen tuum diuînum, & eru-  
béscere de peccâtis commissis, &  
sic pœnitêre, vt in timôre DEI  
aduéntum iúdicis expectêmus Dó-  
mini nostri IESV CHRISTI, qui est  
benedíctus in sæcula. Amen.

PSAL-



## PSALMVS LXXXIII.

*Quo psallens suspirat ad calum.*

**Q**uam dilecta tabernacula  
tua Dómine virtutum! \* con-  
cupiscit & déficit ánima mea in  
átria Dómini.

**C**or meum & caro mea \* exul-  
tauerunt in DEVM viuum.

**E**tenim passer inuénit sibi do-  
mum: \* & turtur nidum sibi, vbi  
ponat pullos suos.

**A**ltária tua Dómine virtutum: \*  
Rex meus, & DEVS meus.

**B**eáti qui hábitant in domo tua  
Dómine: \* in sæcula sæculórum  
laudábunt te.

**B**eátus vir, cuius est auxílium  
abs te: \* ascensíones in corde suo  
dispósuit, in valle lacrymárum, in  
loco quem pósuit.

**E**tenim benedictiónem dabit  
R 5           legislâ-

legislâtor , ibunt de virtûte in virtûtem : \* vidébitur DEVS deôrum in Sion.

**D**ómine DEVS virtûtum exáudi oratiônem meam : \* áuribus pécipe D E V S Iacob.

**P**rotéctor noster áspice DEVS : \* & réspice in fáciem Christi tui.

**Q**uia mélior est dies vna in átriis tuis \* super millia.

**E** légi abiéctus esse in domo DEI mei : \* magis quàm habitâre in tabernáculis peccatórum.

**Q**uia misericórdiam & veritatem díligit D E V S ; \* grátiam & glóriam dabit Dóminus.

**N**on priuâbit bonis eos qui ámbulant in innocéntia : \* Dómine virtûtum , beátus homo qui sperat in te.

ORA-



## ORATIO.

**P**rotector noster DEVS, tabernaculorum cælestium fundator, da nobis procedere de virtute in virtutem, in hac valle lacrymarum, quia auxilium nostrum omne in te est. Dispone etiam ascensiones in cordibus nostris, quibus ad tabernacula illa perueniamus, per faciem CHRISTI Filij tui, cuius meritis saluari confidimus. Amen.

## PSALMVS LXXXIV.

*Quo psallens orat Christi gratiam,  
pacem, iustitiam, salutem sibi  
aliisque dari.*

**B**enedixisti Dómine terram tuam: \* auertisti captiuitatem Iacob.

**R**emisisti iniquitatē plebis tuæ: \* operuisti omnia peccata eorum.

**M**itigasti omnem iram tuam: \*  
auer-

auertísti ab ira indignationis tuæ.

**C**onuérte nos **D**EVS salutaris  
noster: \* & auérte iram tuam à  
nobis.

**N**umquid in ætérnum irascêris  
nobis? \* aut extêdes iram tuam à  
generatiône in generatiònem?

**D**EVS tu conuérſus viuificâbis  
nos: \* & plebs tua lætâbitur in te.

**O**ſtêde nobis Dómine miseri-  
córdiam tuam: \* & salutâre tuum  
da nobis.

**A**udiam quid loquâtur in me  
Dóminus **D**EVS: \* quóniam loquê-  
tur pacem in plebem suam.

**E**t super sanctos suos, \* & in eos  
qui conuertúntur ad cor.

**V**erúmtamen prope timéntes  
eum salutâre ipsíus: \* vt inhábitet  
glória in terra nostra.

**M**isericórdia & véritas obuia-  
uerunt



uérunt sibi: \* iustítia & pax osculá-  
tæ sunt.

**V**éritas de terra orta est: \* & iu-  
stítia de cælo prospéxit.

**E**tenim Dóminus dabit beni-  
gnitâtem.: \* & terra nostra dabit  
fructum suum.

**I**ustítia ante eum ambulâbit: \*  
& ponet in via gressus suos.

## O R A T I O.

**D**EVS salutâris noster, redém-  
ptor & iustificâtor, remíte  
iniquitâtem plebis tuæ: ne in ætér-  
num irascâris, sed placâbilis esto,  
ostendéndo nobis misericórdiam  
tuam, viuificándo per grátiam; at-  
que conuérte nos à malis culpæ ad  
te bonum incommutábile, vt tan-  
dem in viam pacis, iustítia præce-  
dén-te, perducâmur. Amen.

PSAL-

*Quo Psalmo vti potest iustus, & poscere continuam vitæ innocentiam, & ab hostibus liberationem.*

**I**Nclína Dómine aurem tuam, & exáudi me: \* quóniam inops & pauper sum ego.

**C**ustódi ánimam meá, quóniam sanctus sum: \* saluum fac seruum tuum, DEVS meus, sperántem in te.

**M**iserêre mei Dómine, quóniam ad te clamáui tota die: \* lætífica ánimam serui tui, quóniam ad te Dómine ánimam meam leuáui.

**Q**uóniam tu Dómine suáuis & mitis: \* & multæ misericórdiæ ómnibus inuocántibus te.

**A**uribus pércipe Dómine oratióem meam: \* & inténde voci deprecatiônis meæ.

**I**n die tribulatiônis meæ clamáui



ináuī ad te: \* quia exaudísti me.

**N**on est símilis tui in dijs Dñe: \*  
& non est secúndum ópera tua.

**O**mnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, & adorábút coram te Dñe: \* & glorificábunt nomen tuū.

**Q**uóniam magnus es tu, & fáciens mirabília: \* tu es DEVS solus.

**D**educ me Dómine in via tua, & ingrédiar in veritáte tua: \* lætétur cor meum vt tímeat nomen tuum.

**C**onfitêbor tibi Dómine DEVS meus in toto corde meo, \* & glorificábo nomen tuum in ætérnum:

**Q**uia misericórdia tua magna est super me: \* & eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

**D**EVS, iníqui insurrexérunt super me, & synagôga poténtium quæsiérunt ánimam meam: \* & non proposuérunt te in conspéctu suo.

**E**t

**E**t tu Dómine DEVS miserâtor  
& miséricors, \* pátiens, & multæ  
misericórdiæ, & verax.

**R**éspice in me, & miserêre mei,\*  
da impérium tuum púero tuo : &  
saluum fac filium ancíllæ tuæ.

**F**ac mecum signum in bonum,  
vt vídeant qui odérunt me, & con-  
fundántur: \* quóniam tu Dómine  
adiuuísti me, & consolâtus es me.

## O R A T I O.

**D**omine DEVS, miserâtor, mi-  
séricors, suâuis, & mitis óm-  
nibus inuocántibus te puro corde,  
& tíméntibus nomen tuum timóre  
casto: réspice in nos, & miserêre  
nobis, atque salua ánimas nostras  
ex inférno inferióri, quóniam ma-  
gnus es tu, creâtor cæli & terre, nul-  
lus símilis tui, tu es DEVS solus in  
quem sperâmus: exáudi depreca-  
tiones



tiões nostras, ádiuua & consolâre,  
qui es benedictus in sæcula. Amen.

PSALMVS LXXXVI.

*Quo psallens ad calum suspirat.*

**F**undaménta eius in mōtib;  
sanctis: \* diligit Dñs portas Sion  
super ómnia tabernácula Iacob.

Gloriôsa dicta sunt de te, \* ciui-  
tas DEI.

Memor ero Rahab & Babylô-  
nis \* sciéntium me.

Ecce alienígenæ, & Tyrus, & pó-  
pulus Æthiopum, \* hi fuérūt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, &  
homo natus est in ea: \* & ipse fun-  
dauit eam Altíssimus?

Dóminus narrâbit in scriptúris  
populôrum, & princípum; \* ho-  
rum, qui fuérunt in ea.

Sicut lætántium ómnium \* ha-  
bitatio est in te.

S. ORA-

**F** Vndaméntum fidei nostræ  
 DEVS, qui nasci dignâtus es ho-  
 mo in mundum de Vîrgine MA-  
 RIA, & docuísti salûtem nostram  
 in scriptûris Euangelistârum, qui  
 in Sion cælésti résides: præsta no-  
 bis, vt quod hîc verbis de glória  
 tantæ felicitâtis explicâre non pôs-  
 sumus, ibi in ætérna beatitúdine te  
 donânte cernâmus. Amen.

## PSALMVS LXXXVII.

*Quo Psalmo vti potest moribundus,  
 & peccator, vt DEI opem &  
 misericordiam imploret.*

**D** Omine DEVS salûtis meæ,\*  
 in die clamâui, & nocte  
 coram te.

**I** ntret in conspéctu tuo oratio  
 mea: \* inclína aurem tuam ad pre-  
 cem meam:

**Q**uia



**Q**uia replêta est malis ánima mea: \* & vita mea inférno appropinquáuit.

**A**stimâtus sum cum descendéntibus in lacum: \* factus sum sicut homo sine adiutório, inter mórtuos liber.

**S**icut vulneráti dormiéntes in sepúlchris, quorum non es memor ámplius: \* & ipsi de manu tua repúlsi sunt.

**P**osuérunt me in lacu inferióri: \* in tenebrósiss, & in vmbra mortis.

**S**uper me confirmâtus est furor tuus: \* & omnes fluctus tuos induxísti super me.

**L**ongè fecísti notos meos à me: \* posuérunt me abominatiôné sibi.

**I**ráditus sum, & non egrediêbar: \* óculj mei languérunt præ inópia.

S. 2

C la-

**C**lamáui ad te Dómine tota die: \* expándi ad te manus meas.

**N**umquid mórtuis fácies mirabília: \* aut médici suscitábunt, & confitebúntur tibi?

**N**umquid narrábit áliquis in sepúlchro misericórdiam tuam, \* & veritátem tuam in perditíone?

**N**umquid cognoscéntur in ténebris mirabília tua: \* & iustítia tua in terra obliuionis?

**E**t ego ad te Dómine clamáui: \* & manè orátio mea præueniet te.

**V**t quid Dómine repéllis orationem meam: \* auértis fáciem tuam à me?

**P**auper sum ego, & in labóribus à iuuentúte mea: \* exaltátus autem, humiliátus sum & conturbátus.

**I**n



**I**n me transférerunt iræ tuæ: \* & terróres tui conturbauerunt me.

**C**ircumdedérunt me sicut aqua tota die: \* circumdedérunt me simul.

**E**longásti à me amicum & próximum: \* & notos meos à miséria.

## O R A T I O.

**R**edemptor noster DEVS, qui pro nobis homo factus, languóres nostros portásti, exaltátus tandem in cruce, humiliátus in sepúlchro, conturbátus in morte, atque inférna pénétrans, factus inter mórtuos liber, exáudi nos, ne maneamus in ténebris ignorantia, & obliuionis; sed érue nos ab inimici infidiántis péssima seruitúte. Qui viuis & regnas.

## PSALMVS LXXXVIII.

*Quo Psalmo oratur, vt DEVS regna  
regesque Christianos afflictos pri-  
stinae potentiae & gloriae restituat.*

**M**isericórdias Dómini \* in  
æternum cantâbo.

In generatiônem & generatiô-  
nem\* annuntiâbo veritâtem tuam  
in ore meo.

**Q**uóniam dixísti : In æternum  
misericórdia edificábitur in cælis :  
præparábitur veritas tua in eis.

**D**ispósui testaméntum eléctis  
meis, iuráui Dauid seruo meo : \* vsq;  
in æternum præparâbo semen tuû.

**E**t ædificâbo in generatiônem  
& generatiônem \* sedem tuam.

**C**onfitebúntur cæli mirabília  
tua Dómine : \* étenim veritâtem  
tuam in ecclésia sanctôrum.

**Q**uóniam quis in núbibus æ-  
quábitur



quábitur Dómino : \* símilis erit  
DEO in filiis DEI ?

**D**EVS, qui glorificâtur in con-  
sílio sanctôrum : \* magnus & terrí-  
bilis super omnes qui in circúitu  
eius sunt.

**D**ómine **D**EVS virtûtum, quis  
símilis tibi ? \* potens es Dómine, &  
véritas tua in circúitu tuo.

**T**u dominâris potestâti maris : \*  
motum autem flúctuum eius tu  
mírigas.

**T**u humiliásti sicut vulnerâtum,  
supérbum : \* in bráchio virtûtis  
tuæ dispersísti inimícos tuos.

**T**ui sunt cæli, & tua est terra, or-  
bē terræ & plenitúdine eius tu fun-  
dásti : \* Aquilônē, & mare tu creásti.

**T**habor & Hermon in nómine  
tuo exultábunt : \* tuum bráchium  
cum poténtia.

**F**irmetur manus tua, & exaltetur  
dextera tua: \* iustitia & iudicium  
preparatio sedis tuæ.

**M**isericordia & veritas præce-  
dent faciem tuam: \* beatus popu-  
lus, qui scit iubilationem.

**D**omine, in lumine vultus tui  
ambulabunt, & in nomine tuo ex-  
ultabunt tota die: \* & in iustitia  
tua exaltabuntur.

**Q**uoniam gloria virtutis eorum  
tu es: \* & in beneplacito tuo exal-  
tabitur cornu nostrum.

**Q**uia Domini est assumptio no-  
stra: \* & sancti Israël Regis nostri.

**T**unc locutus es in visione san-  
ctis tuis, & dixisti: \* Pofui adiuto-  
rium in potente: & exaltaui ele-  
ctum de plebe mea.

**I**nueni David seruum meum: \*  
oleo sancto meo unxi eum.

**M**anus



**M**anus enim mea auxiliabitur ei: & brachiū meū cōfortabit eum.

**N**ihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.

**E**t concidam à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum in fugam conuertam.

**E**t veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nōmine meo exaltabitur cornu eius.

**E**t ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius.

**I**pse inuocabit me: Pater meus es tu: \* **D**EVS meus, & susceptor salutis meæ:

**E**t ego primogénitum ponam illum excelsū præ régibus terræ.

**I**n ætérnum seruabo illi misericórdiam meam: \* & testaméntum meum fidèle ipsi.

S s

**E**t

**E**t ponam in sæculum sæculi semen eius: \* & thronum eius sicut dies cæli.

**S**i autem dereliquerint filij eius legem meam: \* & in iudiciis meis non ambulauerint:

**S**i iustitias meas profanauerint: \* & mandata mea non custodierint:

**V**isitabo in virga iniquitates eorū: \* & in verbéribus peccata eorū.

**M**isericórdiam autem meam non dispérgam ab eo: \* neque nocébo in veritate mea:

**N**eque profanâbo testaméntum meum: \* & quæ procédunt de lábiis meis, non fáciám írrita.

**S**emel iuráui in sancto meo, si Dauid méntiar: \* semen eius in ætérnum manébit.

**E**t thronus eius sicut sol in conspéctu meo, \* & sicut luna perfectá in



in ætérnum : & testis in cælo fidelis.

**T**u verò repulisti & despexisti : distulisti Christum tuum.

**E**uertisti testaméntum serui tui : \* profanasti in terra sanctuárium eius.

**D**estruxisti omnes sepes eius : \* posuisti firmaméntum eius formidinem.

**D**iripuerunt eum omnes transéúntes viam : \* factus est opprobrium vicinis suis.

**E**xaltasti dexteram depriméntium eum : \* lætificasti omnes inimicos eius.

**A**uertisti adiutoriũ gládij eius : & non es auxiliátus ei in bello.

**D**estruxisti eum ab emundatióne : \* & sedem eius in terram collisisti.

**M**ino-

**M**inorasti dies temporis eius: \*  
perfudisti eum confusione.

**V**squequò Dómine auertis in finem: \*  
exardescet sicut ignis ira tua?

**M**emorare quæ mea substantia: \*  
numquid enim vanè constituisti omnes filios hóminum?

**Q**uis est homo, qui viuet, & non  
vidébit mortem: \* éruct animam  
suam de manu inferi?

**V**bi sunt misericórdiæ tuæ antiquæ Dómine, \*  
sicut iurasti Dauid in veritate tua?

**M**emore esto Dómine opprobrii  
seruorum tuorum \* (quod continui  
in sinu meo) multarum gentium.

**Q**uod exprobrauerunt inimici  
tui Dómine, \* quod exprobrauerunt  
commutationem Christi tui.

**B**enedíctus Dóminus in æternum: \* fiat, fiat.

**ORA-**



## ORATIO.

**D**omine DEVS virtutum, tui  
sunt cæli, & tua est terra:  
DEVS magnus potentia, & terrí-  
bilis reueréntia, quem tremunt An-  
geli, & omnis creatûra adôrat. Erue  
ánimas nostras de manu ínferi, vt  
tuas misericórdias decantántes, &  
à confusiône críminum, & à morte  
perpétua liberêmur: per nomen  
tuum benedíctum in ætérnum.  
Amen.

## PSALMVS LXXXIX.

*Quo petit psallens, vt per breuem  
hanc & miseram vitam diriga-  
tur ad beatam & æternam.*

**D**omine, refúgium factus es  
nobis: \* à generatiône in ge-  
neratiõem.

**P**riúsquam montes fierent, &  
formarêtur terra & orbis: \* à sæculo,  
&

& vsque in sæculum tu es DEVS.

**N**e auertas hóminem in humilitatem: \* & dixísti: Conuertimini filij hóminum.

**Q**uóniam mille anni ante óculos tuos, \* tamquam dies hesterna quæ præteríit.

**E**t custódia in nocte, \* quæ pro níhilo habéntur, eórum anni erunt.

**M**anè sicut herba tránseat, manè flóreat, & tránseat: \* vespere decídat, indûret, & aréscat.

**Q**uia defécimus in ira tua, \* & in furóre tuo turbáti sumus.

**P**osuísti iniquitátes nostras in conspéctu tuo: \* sæculum nostrum in illuminatióne vultus tui.

**Q**uóniam omnes dies nostri defecérunt: \* & in ira tua defécimus.

**A**nni nostri sicut aránea medítábúntur: \* dies annórum nostrórum



rum in ipsis, septuaginta anni.

**S**i autem in potentatibus, octoginta anni: \* & amplius eorum, labor & dolor.

**Q**uoniam superuenit mansuetudo: \* & corripiemur.

**Q**uis nouit potestatem iræ tuæ: \* & præ timore tuo iram tuam dinumerare?

**D**exteram tuam sic notam fac: \* & eruditos corde in sapientia.

**C**onuértere Dómine usquequò? \* & deprecabilis esto super seruos tuos.

**R**epléti sumus manè misericórdia tua: \* & exultauimus, & delectati sumus omnibus diébus nostris.

**L**ætati sumus pro diébus, quibus nos humiliásti: \* annis, quibus uidimus mala.

**R**éspice

**R**espice in seruos tuos ; & in  
ópera tua: \* & dirige filios eórum.

**E**t sit splendor Dómini DEI no-  
stri super nos , & ópera mánuum  
nostrárum dirige super nos: \* &  
opus mánuum nostrárum dirige.

## ORATIO.

**O**Mnípotens D E V S , únicum  
refúgium nostrum , ne auér-  
tascorda nostra à bonis ætérnis ad  
concupiscéntias terrenórum , sed  
conuértere , & deprecábilis esto  
super nos mortáles , vt repleámur  
semper misericórdia tua , & dele-  
ctémur in ea ádeo , vt splendor di-  
uínæ grátia tuæ illúminet mentes  
nostras, eiiciéndo omnes cogitatió-  
nes nóxias. Per CHRISTVM DÓ-  
minum nostrum. Amen.

PSAL-



DAVIDIS.  
PSALMVS XC.

289

*Quo petit psallens fiducia in DEVM,  
vt in tentationibus ac periculis no-  
cturnis & diurnis DEO securè se  
totum credat, & committat.*

**Q**ui habitat in adiutorio Al-  
tissimi,\* in protectione DEI  
cæli commorabitur.

Dicet Dómino: Susceptor meus  
es tu, & refúgium meum:\* DEVS  
meus sperâbo in eum.

Quóniã ipse liberâuit me de lá-  
queo venantiũ,\* & à verbo áspero.

Scápulis suis obumbrâbit tibi:\*  
& sub pennis eius sperâbis.

Scuto circúmdabit te véritas  
eius:\* non timêbis à timóre no-  
ctúrno,

A sagitta volânte in die, à negó-  
tio perambulânte in ténebris:\* ab  
incursu, & dæmónio meridiáno.

T

Cadent

**C**adent à lâtère tuo mille, & decem mília à dextris tuis: \* ad te autem non appropinquâbit.

**V**erúm tamen óculis tuis considerâbis: & retributiônem peccatôrum vidêbis.

**Q**uóniam tu es Dómine spes mea: \* altíssimum posuísti refúgium tuum.

**N**on accêdet ad te malum: \* & flagellum non appropinquâbit tabernáculo tuo.

**Q**uóniam Angelis suis mandâuit de te: \* vt custódiant te in ómnibus viis tuis.

**I**n mânibus portábunt te; \* ne fortè offendas ad lápidem pedem tuum.

**S**uper áspidem, & basilíscum ambulâbis: \* & conculcâbis leônem & draconem.

**Q**uó-



**Q**uoniam in me sperauit, liberabo eum: \* protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.

**C**lamabit ad me, & ego exaudiam eum: \* cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum.

**L**ongitudine dierum replabo eum: \* & ostendam illi salutare meum.

## ORATIO.

**P**Recamur Domine, ut in diuina protectione tua commoremur semper, & sub alis misericordiae tuae, cum sis altissimum refugium nostrum, & unica ac secunda spes nostra. Praesta per inuocationem nominis tui, aspidis & basilisci venena superare, insidias spirituales leonis atque draconis conculcare; ut tandem erepti periculis saeculi, in caelis glorificemur. Amen.

T 2

PSAL-

*Quo petitur gratia meditandi &  
contemplandi magnifica DEI opera.*

**B**onum est confitèri Dómi-  
no: \* & psállere nómini tuo  
Altíssime.

**A**d annuntiándum manè mi-  
sericórdiam tuam: \* & veritâtem  
tuam per noctem.

**I**n decachórho psaltério; \* cum  
cántico, in cíthara.

**Q**uia delectásti me Dómine in  
factúra tua: \* & in opéribus má-  
nuum tuârum exultâbo.

**Q**uàm magnificâta sunt ópera  
tua Dómine! \* nimis profúndæ fa-  
ctæ sunt cògitationes tuæ:

**V**ir insípiens non cognóscet: \*  
& stultus non intélliget hæc.

**C**ùm exórti fúerint peccatóres  
sicut fœnum: \* & apparúerint om-  
nes



nes qui operántur iniquitâtem.

**V**t intéreant in sæculum sæculi: \* tu autem Altíssimus in ætérnum Dómine:

**Q**uóniam ecce inimíci tui Dómine, quóniam ecce inimíci tui períbunt: \* & dispergéntur omnes, qui operántur iniquitâtem.

**E**t exaltábitur sicut vnicórnis cornu meum: \* & senéctus mea in misericórdia úberi.

**E**t despéxit óculus meus inimícos meos: \* & in insurgéntibus in me malignántibus áudiet auris mea.

**I**ustus vt palma florêbit: \* sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

**P**lantáti in domo Dómini, \* in átriis domus DEI nostri florébunt.

**A**dhuc multiplicabúntur in senécta úberi: \* & benè patiéntes erunt, vt annúntient.

T 3

**Q**uó-

Quóniam rectus Dñs DEVS  
noster: \* & non est iníquitas in eo.

## ORATIO.

**P**Eccâta nostra damnântes, mi-  
sericórdiam tuam, Dómine,  
iúgiter postulâmus, & confitêmur  
benefícia, quæ à te suscepimus, non  
meritôrum nostrôrum esse, sed mi-  
seratiône tua præstâri: vnde plan-  
tâtos in fide, spe, & charitatē, fac  
nos fructificâre in óperibus bonis,  
vt sic in átriis cælestibus exultêmus  
in ætérnum. Amen.

## PSALMVS XCII.

*Quo oratur, vt Ecclesia contra omnes  
hostiũ insultus inconcussa persistat.*

**D**Ominus regnâuit, decôrē in-  
dûtus est: \* indûtus est Dó-  
minus fortitûdinē, & præcínxit se.

Etenim firmâuit orbem terræ,  
qui non commouébitur.

**P**arâta



**P**arâta sedes tua ex tunc: \* à sæculo tu es.

**E**leuauerunt flúmina Dómine: \*  
eleuauerunt flúmina vocem suam.

**E**leuauerunt flúmina fluctus  
suos, \* à vóci bus aquârú multârum.

**M**irábiles elatiónes maris, \* mi-  
rábilis in altis Dóminus.

**T**estimónia tua credibília facta  
sunt nimis: \* domum tuam decet  
sanctitúdo Dómine in longitudi-  
nem diêrum.

## ORATIO.

**B**enefícia tua, Dñe, deuóta con-  
sideratióne meditántes, humí-  
liter tuam cleméntiã deprecâmur,  
vt mundo nos corde ac corpore in  
sancta tua Eccléſia custodîre dignê-  
ris, vt piè ac iustè viuâmus, donec  
perueniâmus ad glóriam cæléstem  
in longitudine diêrum. Amen.

T 4

PSAL-

## PSALMVS XCIII.

*Quo petitur, ut DEVS impijs ultionem, iustis misericordiam & opem exhibeat.*

**D**EVS vltiõnum Dóminus: \*  
 DEVS vltiõnum libere egit.  
 Exaltare qui iúdicas terram: \*  
 redde retributiõnem supérbis.

Vsquequò peccatóres Dómine, \*  
 vsquequò peccatóres gloriabúntur:

Effabúntur, & loquéntur iniquitatem: \* loquéntur omnes, qui operántur iniustítiam?

Pópulum tuum Dómine humiliáuérunt: \* & hereditátem tuam vexáuérunt.

Víduam & áduenam interfecerunt: \* & pupílos occidérunt.

Et dixerunt: Non vidêbit Dóminus, \* nec intélliget DEVS Iacob.

Intelligite insipientes in pópulo: \*



lo: \* & stulti aliquándo sapi-  
te.

**Q**ui plantauit aurem, non au-  
dier? \* aut qui finxit oculum, non  
considerat?

**Q**ui corripit Gêtes, non arguet: \*  
qui docet hominem scientiam?

**D**ominus scit cogitationes ho-  
minum, \* quoniam vanæ sunt.

**B**eatus homo, quem tu erudieris  
Dñe: \* & de lege tua docueris eum.

**V**t mitiges ei à dièbus malis: \*  
donec fodiatur peccatori fovea.

**Q**uia non repellet Dominus ple-  
bem suam: \* & hereditatem suam  
non derelinquet,

**Q**uoadúsque iustitia conuertâ-  
tur in iudicium: \* & qui iuxta il-  
lam omnes qui recto sunt corde.

**Q**uis confúrget mihi aduersus  
malignantes? \* aut quis stabit mecû  
aduersus operantes iniquitatem?

T 5

N ifi

**N**isi quia Dóminus adiúuit me: \* paulò minùs habitáffet in inférno ánima mea.

**S**i dicêbam: Motus est pes meus: \* misericórdia tua Dómine adiuuábit me.

**S**ecúndum multitudinem dolórum meórum in corde meo: \* consolatiónes tuæ lætificauérunt ánimam meam.

**N**umquid adhæret tibi sedes iniquitátis: \* qui fingis labórem in præcepto?

**C**aptábunt in ánimam iusti: & sánguinem innocentem condemnábunt.

**E**t factus est mihi Dóminus in refúgium: \* & DEVS meus in adiutorium spei meæ.

**E**t reddet illis iniquitátem ipsórum: & in malítia eórum disperdet



det eos: \* dispérdet illos Dóminus  
D E V S noster.

## ORATIO.

**A** Diûtor noster in tribulatióni-  
bus, benígnè nos consolári di-  
gnêris, qui in præsentis vitæ malis  
multipliciter fatigâmur; vt in hac  
vita salúbriter purgáti, & in futú-  
ra ab iniquórum pœnis misericór-  
diter erépti, in regno cælésti per  
tuam grátiam æternæ beatitúdinis  
efficiâmur consórtes. Amen.

## PSALMVS XCIV.

*Quo petitur DEI cultus; adoratio,  
& obedientia.*

**V**Eníte, exultêmus Dómi-  
no: \* iubilêmus DEO salutá-  
ri nostro.

**P**ræoccupêmus fáciem eius in  
confessiône: \* & in psalmis iubi-  
lêmus ei.

**Q**uó-

**Q**uóniam **D**EV**S** magnus Dóminus: \* & Rex magnus super omnes deos.

**Q**uia in manu eius sunt omnes fines terræ: \* & altitúdines montium ipsíus sunt.

**Q**uóniam ipsíus est mare, & ipse fecit illud: \* & siccam manus eius formauérunt.

**V**eníte adorémus, & procidámus: \* & plorémus ante Dóminum, qui fecit nos.

**Q**uia ipse est Dóminus **D**EV**S** noster: \* & nos pópulus páscuæ eius, & oues manus eius.

**H**ódie si vocem eius audiéritis, \* nólite obdurâre corda vestra;

**S**icut in irritatiône secúndum diem tentatiônis in deserto: \* vbi tentauérunt me patres vestri, probauérunt me, & vidérunt ópera mea.

**Q**ua-



**Q**uadráginta annis offensus fui  
generatióni illi, & dixi: \* Semper  
hi errant corde.

**E**t isti non cognouerunt vias  
meas: \* quibus iuráui in ira mea: Si  
introibunt in réquiem meam.

## ORATIO.

**D**omine IESV CHRISTE,  
saluátor noster, DEVS omni-  
potens, qui cuncta creásti, Rex ma-  
gnus super omnes deos, in cuius  
potestâte, ordine, & gubernatióne  
sunt ómnia: tibi DEO nostro con-  
fitêmur, & grátias ágimus, qui fe-  
císti nos ad imáginem & similitú-  
dinem tuam. Réspice propítius  
super oues páscuæ tuæ, & introdú-  
cere easdem dignêris in réquiem  
sempitérnam. Amen.

PSAL-

*Quo petitur studium laudandi DEI  
maiestatem, gloriam, & iudicium.*

**C**Antâte Dómino cánticum  
nouum: \* cantâte Dómino  
omnis terra.

**C**antâte Dómino, & benedícite  
nómini eius: \* annuntiâte de die in  
diem salutâre eius.

**A**nnuntiâte inter Gentes gló-  
riam eius, \* in ómnibus pópulis  
mirábilia eius.

**Q**uóniam magnus Dóminus,  
& laudábilis nimis: \* terríbilis est  
super omnes deos.

**Q**uóniam omnes dij Géntium  
dæmónia: \* Dñs autem cælos fecit.

**C**onfessio & pulchritúdo in  
côspéctu eius: \* sanctimónia & ma-  
gnificéntia in sanctificatiône eius.

**A**fférte Dómino pátriæ Gén-  
tium,



tium, afferte Dómino glóriam & honôrem: \* afferte Dómino glóriam nómini eius.

**T**óllite hóstias, & introíte in átria eius: \* adoráte Dóminum in átrio sancto eius.

**C**ommoueâtur à fácie eius vniuersa terra: \* dícite in Géntibus quia Dóminus regnâuit.

**E**tenim corréxit orbem terræ, qui non commouébitur: \* iudicâbit pópulos in æquitâte.

**L**æténtur cæli, & exúltet terra, commoueâtur mare, & plenitúdo eius: \* gaudébunt campi, & ómnia quæ in eis sunt.

**T**unc exultábunt ómnia ligna filuârum à fácie Dómini, quia venit: \* quóniam venit iudicâre terrâ.

**I**udicâbit orbem terræ in æquitâte, \* & pópulos in veritâte sua.

**ORA-**

**D**omine IESV CHRISTE,  
creâtor cæli & terræ, magnus  
Dóminus & laudábilis nimis, be-  
nefícia & grátiam tuam agnoscén-  
tes, glóriam offeréntes nómini tuo,  
precâmur, vt sicut te à ligno re-  
gnântem súpplices confitêmur, ita  
in sanctimónia vitæ, & exercítio  
virtûtum te donânte proficiâmus.  
Qui viuís.

## PSALMVS XCVI.

*Quo petitur extremi iudicij timor,  
vt per hoc peccata fugiantur, Chri-  
stoque diligenter seruiatur.*

**D**ominus regnâuit, exúl-  
tet terra: \* læténtur ínsulæ  
multæ.

**N**ubes & caligo in circúitu  
eius: \* iustítia & iudícium corrê-  
ctio sedis eius.

**I**gnis



**I**gnis ante ipsum præcêdet, \* & inflammabit in circûitu inimicos eius.

**I**lluxerunt fûlgura eius orbi terræ: \* vidit, & commôta est terra.

**M**ontes, sicut cera fluxerunt à facie Dómini; \* à facie Dómini omnis terra.

**A**nnuntiauérunt cæli iustitiam eius: \* & vidérunt omnes pópuli glóriam eius.

**C**onfundántur omnes qui adorant sculptília: \* & qui gloriántur in simulácris suis.

**A**dorâte eum omnes Angeli eius: \* audíuit, & lætâta est Sion.

**E**t exultauérunt filiaë Iudæ, \* propter iudícia tua Dómine:

**Q**uóniam tu Dóminus altíssimus super omnem terram: \* nimis exaltâtus es super omnes deos.

V

Qui

**Q**ui diligitis Dóminum, odíte malum: \* custôdit Dóminus ánimas sanctôrum suôrum, de manu peccatôris liberâbit eos.

**L**ux orta est iusto, \* & rectis corde lætítia.

**L**æramini iusti in Dómino: \* & confitémini memóriæ sanctificatiônis eius.

## ORATIO.

**C**Vstos animârum sanctârum: resûlgeat lux diuinæ grátia tuæ in córdibus nostris; vt lætémur seréna consciéntia in te, gratulándo beneficiis tuis, quia memor fuísti nos sanctificâre donis & grátijs tuis, & præsta nobis te dilígere, malum odísse, & exultâre in te summo bono IESV CHRISTO. Amen.

PSAL-



## PSALMVS XC VII.

Quo petit psallens, CHRISTI redemptionem, gratiam, & salutem agnoscere ac celebrare.

**C**Antâte Dómino cánticũ novum: \* quia mirabilia fecit.

**S**aluauit sibi dextera eius: \* & bráchium sanctum eius.

**N**otum fecit Dóminus salutáre suum: \* in conspéctu Géntium reueláuit iustítiam suam.

**R**ecordátus est misericórdiæ suæ, \* & veritátis suæ dómui Israél.

**V**idérunt omnes témini terræ salutáre D E I nostri.

**I**ubiláte D E O omnis terra: \* cántate, & exultáte, & psállite.

**P**sállite Dómino in cíthara, in cíthara & voce psalmi: \* in tubis ductílibus, & voce tubæ córneæ.

**I**ubiláte in conspéctu Regis  
V 2 Dómi-

Dómini: \* moueâtur mare, & plenitúdo eius; orbis terrârum, & qui hábitant in eo.

**F**lúmina plaudent manu, simul mótes exultábút à conspéctu Dñi: \* quóniam venit iudicâre terram.

**I**udicâbit orbem terrârum in iustítia, \* & pópulos in æquitâte.

**ORATIO.**

**D**omine IESV CHRISTE, qui pro salûte mûdi incarnári voluísti, & reuelásti iustítiam tuam Géntibus vniuérsis, atque mirabilia fecísti conuersâtus cum homínibus in carne: præsta nobis, pro tantis beneficiis tibi semper grátias ágere iubiládo, cantádo, exultádo & psallédo totis ánimæ & córporis víribus, vt tandem in fináli exámine te iúdicem propítium habeâmus. Amen.

**PSAL-**



## PSALMVS · XCVIII.

*Quo petitur deuotio, Ut piè colatur  
& adoretur corpus CHRISTI in  
Eucharistia, quasi scabellum Di-  
uinitatis.*

**D**ominus regnâuit, irascân-  
tur pópuli: \* qui sedet super  
Chérubim, moueâtur terra.

Dóminus in Sion magnus: \* &  
excélsus super omnes pópulos.

Confiteántur nómini tuo ma-  
gno: quóniam terríbile & sanctum  
est: \* & honor regis iudiciũ diligit.

Tu parásti directiões: \* iudí-  
ciũ & iustítiam in Iacob tu fecísti.

Exaltâte Dóminum DEVM no-  
strum, & adorâte scabéllum pedum  
eius: \* quóniam sanctum est.

Móyses & Aaron in sacerdóti-  
bus eius: \* & Sámuel inter eos, qui  
ínuocant nomen eius:

V 3

Inuo-

**I**nuocabant Dóminum, & ipse  
exaudiēbat eos: \* in columna nū-  
bis loquebâtur ad eos.

**C**ustodiēbant testimónia eius,\*  
& præceptum quod dedit illis.

**D**ómine DEVS noster tu exau-  
diēbas eos: \* DEVS tu propítius fuí-  
sti eis, & vlcíscens in omnes adin-  
uentiónes eórum.

**E**xaltâte Dóminum DEVM no-  
strum, & adorâte in monte sancto  
eius: \* quóniam sanctus Dóminus  
DEVS noster.

**O R A T I O.**

**D**EVS qui regnas in Ecclésia  
militante, & sedes super Ché-  
rubim ad dexteram Patris, confitê-  
mur & grátias ágimus nómini tuo  
magno, terríbili & excélso, quod  
I E S V S est. Tu sis nostrum gáu-  
dium & desidérium, quóniam te  
solum



solum cognóscimus ætérna nobis  
beneficia posse præstâre, qui es be-  
nedíctus in sæcula. Amen.

## PSALMVS XCIX.

*Quo petit anima, ut quasi ouis agno-  
scat & colat DEVM pastorem  
& creatorem suum.*

**I**ubilâte DEO omnis terra: \* ser-  
uîte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu eius, \* in  
exultatiône.

Scitôte quóniam Dóminus ipse  
est DEVS: \* ipse fecit nos, & non  
ipsi nos.

Pópulus eius, & oues páscuæ  
eius: \* introíte portas eius in con-  
fessiône, átria eius in hymnis: con-  
fitémini illi.

Laudâte nomen eius: quóniam  
suâuis est Dñs, in ætérnum miseri-  
córdia eius, & vsque in generatiô-

V 4

nem

nem & generatiōem vēritas eius.

## ORATIO.

**D**omine DEVS noster, IESV  
CHRISTE, à quo creati sumus  
& redempti, qui fecisti nos ad  
imāginem & similitudinem tuam,  
qui sumus pópulus tuus, & oues  
páscuæ tuæ: precāmur vt in lætitia  
sempiterna iúbilum exultatiōis  
cum gratiārum actiōne mereāmur  
in ætérnum concínere, cum ómni-  
bus Sanctis & eléctis tuis. Amen.

## PSALMVS C.

*Quo quis primò sibi petit vitæ inte-  
gritatem, vt probis se associet, im-  
pios auersetur. Secundò iis qui re-  
gunt Rempublicam, vt iustitiam  
& virtutem colant.*

**M**isericórdiam & iudícium,\*  
cantābo tibi Dómine:

**P**allam, & intélligam in via im-  
macu-



maculáta, \* quando vénies ad me.

**P**erambulâbam in innocéntia cordis mei, \* in médio domus meæ.

**N**on proponêbam ante óculos meos rem iniústam : \* faciéntes præuaricatiónes odíui.

**N**on adhêsit mihi cor prauum : \* declinântem à me malignum non cognoscêbam.

**D**etrahéntem secrétò próximo suo, \* hunc persequêbar.

**S**upérbo óculo, & insatiábili corde, \* cum hoc non edêbam.

**O**culi mei ad fidéles terræ, vt sédeant mecum : \* ámbulās in via immaculáta, hic mihi ministrâbat.

**N**on habitâbit in médio domus meæ qui facit supérbiam : \* qui lóquitur inîqua, non diréxit in conspéctu oculórum meórum.

**I**n matutíno interficiêbam omnes

V s

nes

nes peccatóres terræ: \* vt dispérderem de ciuitâte Dómini omnes operántes iniquitátem.

## ORATIO.

**D**Iuina misericórdia nobis præstet grátiam, vt ambulêmus in via immaculáta, & innocéntia cordis, atque puritáte consciéntiæ, vitándo ómnia facínora: vt sic non cum peccatóribus à ciuitâte Dómini in illo extrémó iudício disperdâmur, sed cum eléctis in tabernácula æternæ felicitátis récipi mereâmur. Per CHRISTVM.

## PSALMVS CI.

*Quo quis plangit vel Ecclesiæ vel  
animæ suæ desolationem.*

**D**omine exáudi oratióem meam: \* & clamor meus ad te veniat.

**N**on auértas fáciem tuam à me: \*



me: \* in quacúmque die tríbulor,  
inclína ad me aurem tuam.

**I**n quacúmque die inuocáuero  
te, \* velóciter exáudi me.

**Q**uia defecérunt sicut fumus  
dies mei: \* & ossa mea sicut cré-  
mium aruérunt.

**P**ercússus sum vt foenum, &  
áruit cor meum: \* quia oblítus sum  
comédere panem meum.

**A**voce gémitus mei \* adhæsit  
os meum carni meæ.

**S**ímilis factus sum pellicáno so-  
litúdinis: \* factus sum sicut nyctí-  
corax in domicílio.

**V**igiláui, \* & factus sum sicut  
passer solitárius in tecto.

**T**ota die exprobrábant mihi  
inimíci mei: \* & qui laudábant  
me, aduérsum me iurábant.

**Q**uia cínere tamquam panem  
man-

manducâbam, \* & potum meum  
cum fletu miscêbam.

**A** fácie iræ & indignatiônis tuę:  
quia éleuans allisísti me.

**D**ies mei sicut vmbra declinaué-  
runt: \* & ego sicut fcenum áruí.

**T**u autem Dómine in ætér-  
num pérmanes: \* & memoriále  
tuum in generatiônem & genera-  
tiônem.

**T**u exúrgens miseréberis Sion: \*  
quia tempus miseréndi eius, quia  
venit tempus.

**Q**uóniam placuérunt seruis tuis  
lápidés eius: \* & terræ eius misere-  
búntur.

**E**t timébunt Gentes nomen  
tuum Dómine, \* & omnes reges  
terræ glóriam tuam.

**Q**uia ædificáuít Dóminus Sion:  
& vidébitur in glória sua.

**R**espéxit



**R**espexit in orationem humilium: \* & non spreuit precem eorum.

**S**cribantur hæc in generatione altera: \* & populus, qui creabitur, laudabit Dominum:

**Q**uia prospexit de excelsa sancto suo: \* Dominus de caelo in terram aspexit:

**V**t audiret gemitus compeditorum: \* vt solueret filios interemptorum:

**V**t annuntient in Sion nomen Domini: \* & laudem eius in Ierusalem.

**I**n conueniendo populos in vnum, \* & reges vt seruiant Domino.

**R**espondit ei in via virtutis suæ: \* paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

**N**e

**N**e réuoces me in dimídio diê-  
rum meôrum: \* in generatiônem  
& generatiônem anni tui.

**I**nítio tu Dómine terram fun-  
dásti: \* & ópera mánuum tuârum  
sunt cæli.

**I**psi períbunt, tu autem pérma-  
nes: \* & omnes sicut vestiméntum  
veteráscunt.

**E**t sicut opertóriũ mutâbis eos,  
& mutabúntur: \* tu autem idem  
ipse es, & anni tui non deficient.

**F**ílij seruôrum tuôrum habitá-  
bunt: \* & semen eôrum in sæcu-  
lum dirigêtur.

## ORATIO.

**B**Enígne Saluátor, finem tuæ  
pietâtis nobis áperi, vt heredi-  
tâtém cæléstem, quam amísimus  
per culpam, recipiâmus per poëni-  
téntiam. Subínde præsta, vt dignis  
poëni-



pœnitentiæ fructibus peccâta quæ  
 fecimus salûbriter abstergâmus,  
 quâtenus tēpora nobis indûlta sic  
 expendâmus, vt ad vitam æternam  
 peruenîre mereâmur, grátia &  
 misericórdia Dómini nostri IESV  
 CHRISTI, cui est honor & gló-  
 ria in sæcula sæculôrum. Amen.

## PSALMVS CII.

*Quo quis celebrat collata in se  
 suosque beneficia.*

**B**enedic ánima mea Dómi-  
 no: \* & ómnia, quæ intra me  
 sunt, nómini sancto eius:

**B**enedic ánima mea Dómino: \*  
 & noli obliuisci omnes retributió-  
 nes eius:

**Q**ui propitiâtur ómnibus ini-  
 quitátibus tuis: \* qui sanat omnes  
 infirmitâtes tuas.

**Q**ui rédimit de intéritu vitam  
 tuam: \*

tuam: \* qui coronat te in misericordia & miserationibus.

**Q**ui replet in bonis desiderium tuum: \* renouabitur ut aliqua iuuentus tua.

**F**aciens misericordias Dominus: \* & iudicium omnibus iniuriam patientibus.

**N**otas fecit vias suas Moysi, \* filiis Israel voluntates suas.

**M**iserator, & misericors Dominus: \* longanimis, & multum misericors.

**N**on in perpetuum irascetur: \* neque in æternum comminabitur.

**N**on secundum peccata nostra fecit nobis: \* neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

**Q**uoniam secundum altitudinem cæli à terra: \* corroborauit misericordiam suam super timentes se.

**Q**uan-



**Q**uantum distat ortus ab occidente: \* longè fecit à nobis iniquitates nostras.

**Q**uómodo miserêtur pater filiorum, misértus est Dóminus timéntibus se: \* quóniam ipse cognôuit figméntum nostrum.

**R**ecordâtus est quóniam pulvis sumus: \* homo sicut scœnū dies eius, tamquam flos agri sic efflorêbit.

**Q**uóniam spíritus pertransîbit in illo, & non subsístet: \* & non cognóscet ampliùs locum suum.

**M**isericórdia autem Dómini ab ætérno, \* & vsque in ætérnum super timéntes eum.

**E**t iustitia illius in filios filiorum, \* his qui seruant testaméntum eius:

**E**t mémores sunt mandatôrum ipsius, \* ad faciéndum ea.

X D ómi-

**D**óminus in cælo parâuit sedem suam: \* & regnum ipsîus ómnibus dominábitur.

**B**enedícite Dómino omnes Angeli eius: \* poténtes virtûte, faciéntes verbum illîus, ad audiéndam vocem fermônnum eius.

**B**enedícite Dómino omnes virtútes eius: \* minístri eius, qui fácitis voluntâtem eius.

**B**enedícite Dómino ómnia ópera eius: \* in omni loco dominationis eius, bénedic ánima mea Dómino.

#### ORATIO.

**M**iserâtor & miséricors Dómine, longánimis & multum miséricors, non secúndum peccâta nostra fácias nobis, sed in misericórdia tua, & in miseratió-nibus multis propitiâre delíctis nostris,



nostris, & reple in bonis cælestibus desiderium nostrum, & sana omnes infirmitates nostras, qui benedicimus nómmini tuo in sæcula. Amen.

## PSALMVS CIII.

*Quo quis contemplatur & admiratur in creaturis DEI potentiam, sapientiam, bonitatem.*

**B**enedic ánima mea Dómino: \*  
Dómine DEVS meus magnificátus es veheménter.

**C**onfessiônem & decòrem induísti: \* amíctus lúmine sicut vestiménto:

**E**xténdes cælum sicut pellem: \*  
qui tegis aquis superiôra eius.

**Q**ui ponis nubem ascénsu tuum: \* qui ámbulas super pennas ventôrum.

**Q**ui facis ángelos tuos, spíritus: \*

tus : \* & ministros tuos ignem  
vrētem.

**Q**ui fundāsti terram super sta-  
bilitātem suam : \* non inclinābitur  
in sæculum sæculi.

**A**byssus, sicut vestimētum,  
amictus eius : \* super montes sta-  
bunt aquæ.

**A**b increpatione tua fugient : \* à  
voce tonitrui tui formidābunt.

**A**scēdunt montes, & descē-  
dunt campi, \* in locum quem fun-  
dāsti eis.

**T**érminum posuisti, quem non  
transgrediētur : \* neque conuer-  
tētur operīre terram.

**Q**ui emittis fontes in conualli-  
bus : \* inter médium mōntium per-  
transībunt aquæ.

**P**otābunt omnes béstiaē agri : \*  
expectābunt ónagri in siti sua.

**S**uper



**S**uper ea volucres cæli habitábunt: \* de médio petrârum dabunt voces.

**R**igans montes in superiôribus suis: \* de fructu ôperum tuôrum satiâbitur terra:

**P**roducens fœnum iuméntis, \* & herbam seruitúti hóminum:

**V**t edúcas panem de terra: \* & vinum lætíficet cor hóminis:

**V**t exhílalet fáciem in óleo: \* & panis cor hóminis confírmet.

**S**aturabúntur ligna campi, & cedri Líbani, quas plantâuit: \* illic pásseres nidificábunt.

**H**eródij domus dux est eôrum: \* montes excélsi ceruis: petra refúgium herináciis.

**F**ecit lunam in témpora: \* sol cognôuit occâsum suum.

**P**osuísti ténebras, & facta est

X 3

nox: \*

nox: \* in ipsa pertransíbunt omnes béstia siluæ.

**C**átuli leônium rugientes, vt rápíant,\* & quærant à D E O escam sibi.

**O**rtus est sol, & congregáti sunt:\* & in cubílibus suis collocabúntur.

**E**xíbit homo ad opus suum:\* & ad operatiônem suam vsque ad vésperum.

**Q**uàm magnificâta sunt ópera tua Dómine! \* ómnia in sapiéntia fecísti; implêta est terra possessiône tua.

**H**oc mare magnum, & spatiósum mánibus: \* illic reptília, quorum non est númerus.

**A**nimália pusílla cum magnis: \* illic naues pertransíbunt.

**D**raço iste, quem formásti ad  
illudén-



illudendum ei: \* omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.

**D** ante te illis, colligent: \* aperiēte te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.

**A** uertente autem te faciem, turbabuntur: \* auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.

**E** mittere spiritum tuum, & creabuntur: \* & renouabis faciem terræ.

**S** it gloria Domini in sæculum: \* lætabitur Dñs in operibus suis:

**Q** ui respicit terram, & facit eam tremere: \* qui tangit montes, & fumigant.

**C** antabo Domino in vita mea: \* psallam Deo meo quamdiu sum.

Iucundū sit ei elóquium meū: \* ego verò delectabor in Domino.

**D** eficiant peccatores à terra, &

X 4

iniqui

iníqui ita vt non sint : \* bédedic  
ánima mea Dómino.

## O R A T I O.

**D**EVS qui ómnia in sapiéntia  
creásti, & cuius ópera magni-  
ficâta sunt super terram, tibi cáni-  
mus, psállimus, & bédicimus in  
æternum, quia cognóscimus má-  
chinam mundi à te mirabíliter fa-  
bricâtam; quæ nos hortâtur, vt te  
summum bonum super ómnia  
amêmus, quóniam vniuersa pul-  
chra & bona creásti, qui es bene-  
dictus in sæcula, Amen.

## P S A L M V S C I V.

*Quo quis contemplatur, et celebrat  
beneficia populo DEI præstita.*

**C**onfitémini Dómino, & in-  
uocâte nomen eius: \* annun-  
tiâte inter Gentes ópera eius.

**C**antâte ei, & psállite ei: \* nar-  
râte



râte omnia mirabilia eius.

**L**audámini in nómine sancto eius: \* lætêtur cor quæréntium Dóminum.

**Q**uærite Dóminum, & confirmámini: \* quærite fáciẽ eius semper.

**M**ementôte mirábiliũ eius, quæ fecit: \* prodígia eius, & iudícia oris eius.

**S**emen Abraham, serui eius: \* filij Iacob elécti eius.

**I**pse Dóminus D E V S noster: \* in vniuersa terra iudícia eius.

**M**emor fuit in sæculum testaménti sui: \* verbi, quod mandáuit in mille generatióes:

**Q**uod dispósuit ad Abraham: \* & iuraménti sui ad Isaac:

**E**t stáuit illud Iacob in præcéptum: \* & Israël in testaméntum ætérnum:

X 5

**D**icens:

**D**icens: Tibi dabo terram Chanaan, \* funiculum hereditatis vestrae.

**C**um essent número breui, \* paucissimi & incolæ eius:

**E**t pertransiérunt de gente in gentem, \* & de regno ad pópulum alterum.

**N**on relíquit hóminem nocére eis: \* & corripuit pro eis reges.

**N**olíte tángere christos meos: \* & in prophétis meis nolíte malignári.

**E**t vocáuit famem super terram: \* & omne firmaméntum panis contríuit.

**M**isit ante eos virum: \* in seruum venúmdatus est Ioseph.

**H**umiliauérunt in cōpédibus pedes eius, ferrum pertransiit animá eius, \* donec veníret verbum eius.

**E** ló-



**E** lóquium Dómini inflammáuit eum: \* misit rex, & soluit eum; princeps populôrum, & dimísit eum.

**C**onstituit eum dóminum domus suæ: \* & príncipem omnis possessiônis suæ:

**V**t erudíret príncipes eius sicut semetípsum: \* & senes eius prudéntiam docêret.

**E**t intráuit Israël in Ægyptum: \* & Iacob áccola fuit in terra Cham.

**E**t auxit pópulum suum vehementer: \* & firmáuit eum super inimícos eius.

**C**onuértit cor eôrum vt odírent pópulum eius: \* & dolum fácerent in seruos eius.

**M**isit Móysen seruum suum: \* Aaron, quem elêgit ipsum.

**P**ósuit

**P**osuit in eis verba signorum  
suorum, \* & prodigiorum in ter-  
ra Cham.

**M**isit tenebras, & obscuravit: \* &  
non exacerbauit sermones suos.

**C**onuertit aquas eorum in san-  
guinem: \* & occidit pisces eorum.

**E**didit terra eorum ranas \* in pe-  
netralibus regum ipsorum.

**D**ixit, & venit cœnomyia: \* &  
cínifes in omnibus finibus eor-  
um.

**P**osuit plúuias eorum grándi-  
nem: \* ignem comburentem in  
terra ipsorum.

**E**t percussit véneas eorum & fi-  
cúlneas eorum: \* & contriuit li-  
gnum finium eorum.

**D**ixit, & venit locústa, & bru-  
chus, \* cuius non erat númerus:

**E**t comêdit omne fœnum in  
terra



terra eorum: \* & comedit omnem fructum terræ eorum.

**E**t percussit omne primogenitum in terra eorum: \* primitias omnis laboris eorum.

**E**t eduxit eos cum argento & auro: \* & non erat in tribubus eorum infirmus.

**L**ætata est Ægyptus in protectione eorum: \* quia incubuit timor eorum super eos.

**E**xpandit nubem in protectionem eorum, \* & ignem ut luceret eis per noctem.

**P**etiérunt, & venit coturnix: \* & pane cæli saturavit eos.

**D**irupit petram, & fluxérunt aquæ: \* abiérunt in sicco flumina;

**Q**uóniam memor fuit verbi sancti sui, \* quod habuit ad Abraham puerum suum.

**E**t

**E**t eduxit pópulum suum in exultatióne,\* & electos suos in lætítia.

**E**t dedit illis regiónes Géntium:\*  
& labóres populórum possederunt:

**V**t custódiant iustificatiónes eius,\* & legem eius requírant.

## O R A T I O.

**C**onfiténtes tibi Dómine, & inuocántes nomen tuum, atque enarrántes mirabília tua, deprecámur, vt, qui pátribus nostris dux fuísti itíneris in deserto, & paúisti eos manna cælésti, nos reficere dignêris mysticis tuis dápiis; vt tandem in terra viuéntium per te mereámur indúci, & in regno tuo cum Sanctis tuis lætítia pérfrui sempitérna. Amen.

PSAL-



## PSALMVS CV.

*Quo celebratur DEI clementia, qua  
psallentem, & alios toties peccan-  
tes in gratiam recepit.*

**C**onfitémini Dómino quóniam bonus: \* quóniam in sæculum misericórdia eius.

**Q**uis loquétur poténtias Dñi,\* audítas fáciét omnes laudes eius?

**B**eáti, qui custódiūt iudíciū,\* & fáciūt iustítiam in omni tẽpore.

**M**eménto nostri Dómine in beneplácito pópuli tui: \* vísitá nos in salutári tuo:

**A**d vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ: \* vt laudêris cum hereditáte tua.

**P**eccáuimus cum pátribus nostris: \* iniústè égimus, iniquitátem fécimus.

**P**atres

**P**atres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: \* non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.

**E**t irritauerunt ascendentes in mare, \* Mare rubrum.

**E**t saluauit eos propter nomen suum: \* vt notam faceret potentiã suã.

**E**t increpuit Mare rubrum, & exiccatum est: \* & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

**E**t saluauit eos de manu odientium: \* & redemit eos de manu inimici.

**E**t operuit aqua tribulantes eos: \* vnus ex eis non remansit.

**E**t crediderunt verbis eius: \* & laudauerunt laudem eius.

**C**itò fecerunt, obliti sunt operum eius: \* & non sustinuerunt consilium eius.

**E**t



**E**t concupiérunt concupiscéntiam in deserto: \* & tentauérunt DEVM in inaquóso.

**E**t dedit eis petitiónem ipsórum: \* & misit saturitâtem in ánimas eórum.

**E**t irritauérunt Móysen in castris: \* Aaron sanctum Dómini.

**A**pérta est terra, & deglutíuit Dathan: \* & opéruit super congregatiónem Abíron.

**E**t exársit ignis in synagóga eórum: \* flamma combússit peccatóres.

**E**t fecérunt vítulum in Horeb: \* & adorauérunt scúptile.

**E**t mutauérunt glóriam suam, \* in similitúdinem vítuli comedéntis fœnum.

**O**blíti sunt DEVM, qui saluâuit eos, \* qui fecit magnália in Ægypto,

Y

pto,

pto, mirabilia in terra Cham: terribilia in Mari rubro.

**E**t dixit vt dispénderet eos: \* si non Móyses eléctus eius stetisset in confractiône in conspéctu eius:

**V**t auérteret iram eius ne dispénderet eos: \* & pro níhilo habuerunt terram desiderábilem.

**N**on credidérunt verbo eius, & murmurauérunt in tabernáculis suis: \* non exaudiérunt vocem Dñi.

**E**t eleuâuit manum suam super eos: \* vt prostérneret eos in deserto:

**E**t vt deiíceret semen eôrum in natióibus: \* & dispérgeret eos in regiónibus.

**E**t initiáti sunt Beélphegor: \* & comedérunt sacrificia mortuôrum.

**E**t irritauérunt eum in adinuentiôibus suis: \* & multiplicâta est in eis ruína.

**E**t



**E**t stetit Phinees, & placâuit: \* & cessâuit quassatio.

**E**t reputatum est ei in iustitiam, \* in generatiônem & generatiônem vsque in sempiternum.

**E**t irritauerunt eum ad aquas contradictiônis: \* & vexatus est Môyses propter eos: quia exacerbauerunt spiritum eius.

**E**t distinxit in labijs suis: \* non disperdiderunt Gentes, quas dixit Dôminus illis.

**E**t commisti sunt inter Gentes, & didicerunt ôpera eorum: & seruiêrunt sculptrilibus eorum: \* & factum est illis in scâdalum.

**E**t immolauerunt filios suos, \* & filias suas dæmónijs.

**E**t effuderunt sânguinem innocéntem: \* sânguinem filiôrum suorum & filiârum suarum, quas

Y 2

sacri-

sacrificauérunt sculptílibus Chánaan.

**E**t infécta est terra in sanguínibus, & contaminâta est in opéribus eôrum: \* & fornicáti sunt in adinuentiónibus suis.

**E**t irâtus est furôre Dóminus in pópulum suum: \* & abominâtus est hereditâtem suam.

**E**t trádidit eos in manus Gén-tium: \* & domináti sunt eôrum qui odérunt eos.

**E**t tribulauérunt eos inimíci eorum, & humiliáti sunt sub má-nibus eorum: \* sæpè liberâuit eos.

**I**psi autem exacerbauérunt eum in consílio suo: \* & humiliáti sunt in iniquitatibus suis.

**E**t vidit cùm tribularêntur: \* & audíuit oratiônem eorum.

**E**t memor fuit testaménti sui: \*

&



& pœnítuit eum secúndum multitudinem misericórdiæ suæ.

**E**t dedit eos in misericórdias\* in conspéctu ómnium qui céperant eos.

**S**aluos nos fac Dómine **D E V S** noster:\* & cógrega nos de natió-nibus.

**V**t confiteâmur nómini sancto tuo:\* & gloriêmur in laude tua.

**B**enedíctus Dóminus **D E V S** Israël à sæculo & vsque in sæcu-lum: \* & dicet omnis pópulus: Fiat, fiat.

## O R A T I O.

**C**onfitêmur delícta nostra, & misericórdiam tuam implo-râmus Dómine, quia peccáui-mus cum pátribus nostris, iniústè égimus, iniquitâtem fécimus: sal-ua nos Dómine **D E V S** noster,

Y 3

qui

qui confitemur nómini sancto  
tuo, & gloriámur in laude tua.  
Meménto nostri, grátiam confe-  
réndo, atque vífita, vt saluémur  
in salutári tuo IESV CHRISTO.  
Amen.

## PSALMVS CVI.

*Quo psallens celebrat DEI in se suos-  
que bonitatem, qua à fame, exilio,  
morbis, variisque periculis eos  
liberauit.*

**C**onfitemini Dómino quón-  
iam bonus: \* quóniam in  
sæculum misericórdia eius.

**D**icant qui redempti sunt à Dó-  
mino, quos redemit de manu ini-  
mici: \* & de regiónibus congre-  
gáuit eos.

**A**solis ortu, & occásu: \* ab Aquí-  
lône, & mari.

**E**rrauerunt in solitúdine in ina-  
quóso: \*



quoso: \* viam ciuitatis habitaculi  
non inuenerunt,

**E** surientes, & sitiētes: \* anima  
eorum in ipsis defecit.

**E**t clamauerunt ad Dōminum  
cū tribularētur: \* & de necessi-  
tātibus eorum eripuit eos.

**E**t deduxit eos in viam rectam:  
vt irent in ciuitatem habitatiōis.

**C**onfiteātur Dōmino miseri-  
cōrdiæ eius: \* & mirabilia eius fī-  
lijs hōminum.

**Q**uia satiāuit animam inā-  
nem: \* & animam esuriētem sa-  
tiāuit bonis.

**S**edētes in tēnebris, & vmbra  
mortis: \* vinctos in mendicitate,  
& ferro.

**Q**uia exacerbauerunt elōquia  
DEI: \* & consilium Altissimi ir-  
ritauerunt.

Y 4

**E**t

**E**t humiliatum est in laboribus  
cor eorum: \* infirmati sunt, nec  
fuit qui adiuuaret.

**E**t clamauerunt ad Dominum  
cum tribularentur: \* & de necessi-  
tatibus eorum liberauit eos.

**E**t eduxit eos de tenebris, &  
vmbra mortis: \* & vincula eorum  
disrupit.

**C**onfiteantur Domino miseri-  
cordiæ eius: \* & mirabilia eius fi-  
liis hominum.

**Q**uia contriuit portas æreas: \*  
& vectes ferreos confrêgit.

**S**uscêpit eos de via iniquitatis  
eorum: \* propter iniustitias enim  
suas humiliati sunt.

**O**mnem escam abominata est  
ánima eorum: \* & appropinqua-  
uerunt vsque ad portas mortis.

**E**t clamauerunt ad Dominum  
cum



cùm tribularéntur: \* & de necessi-  
tátibus eòrum liberáuit eos.

**M**isit verbum suum, & sanáuit  
eos: \* & erípuit eos de interitióni-  
bus eòrum.

**C**onfiteántur Dómino miseri-  
córdiæ eius: \* & mirábilia eius fí-  
liis hóminum.

**E**t sacrificent sacrificium lau-  
dis: \* & annúntient ópera eius in  
exultatióne.

**Q**ui descéndunt mare in náui-  
bus, \* faciéntes operatióne in  
aquis multis.

**I**psi vidérunt ópera Dómini,\*  
& mirábilia eius in profúndo.

**D**ixit, & stetit spíritus procél-  
læ: \* & exaltáti sunt fluctus eius.

**A**scéndunt vsque ad cælos, &  
descéndunt vsque ad abyssos: \* áni-  
ma eòrum in malis tabescêbat.

Y 5

**T**urbáti

**T**urbáti sunt, & moti sunt sicut ébrius: \* & omnis sapiéntia eórum deuoráta est.

**E**t clamauérunt ad Dóminum cùm tribularéntur: \* & de necessitatibus eórum edúxit eos.

**E**t státuit procéllam eius in auram: \* & siluérunt fluctus eius.

**E**t lætáti sunt quia siluérunt: \* & dedúxit eos in portum voluntátis eórum.

**C**onfiteántur Dómino misericórdiæ eius: \* & mirabília eius filijs hóminum.

**E**t exáltent eum in ecclésia plebis: \* & in cáthedra seniórum laudent eum.

**P**ósuit flúmina in désertum: \* & éxitus aquárum in sitim.

**T**erram fructíferam in falsúginem, \* à malítia inhabitántiũ in ea.

**P**ósuit



**P**osuit desertum in stagna aquarum : \* & terram sine aqua in exitus aquarum.

**E**t collocauit illic esurientes : \* & constituerunt ciuitatem habitationis.

**E**t seminauerunt agros, & plantauerunt vineas : \* & fecerunt fructum natiuitatis.

**E**t benedixit eis, & multiplicati sunt nimis : \* & iumenta eorum non minorauit.

**E**t pauci facti sunt : \* & vexati sunt a tribulatione malorum, & dolore.

**E**ffusa est contemptio super principes : \* & errare fecit eos in inuio, & non in via.

**E**t adiuuu pauperem de inopia : \* & posuit sicut oues familias.

**V**idebunt recti, & lætabuntur : \*  
&

& omnis iniquitas oppilabit os suum.

**Q**uis sapiens, & custodiet hæc: & intelliget misericordias Domini?

## ORATIO.

**C**onfitemur Domine misericordias tuas, quas iugiter exerceas circa nos poenitentes. Clamamus ad te, quia tribulamur; libera nos & auxiliare, quia præter te non est adiutor: dirumpere vincula delictorum, quibus detinemur in seruitute diaboli; & educ nos de tenebris ignorantiae ad lumen fidei, & de umbra mortis ad veritatem vitæ, ut tibi soli sacrificemus sacrificium laudis. Amen.

PSAL-



## PSALMVS CVII.

*Quo quis petit sibi & Ecclesie de  
hostibus victoriam.*

**P**Aratum cor meum DEVS, pa-  
ratum cor meum: \* cantabo,  
& psallam in gloria mea.

**E**xurge gloria mea, exurge psal-  
terium, & cithara: \* exurgat diluculo.

**C**onfitebor tibi in populis DO-  
mine: \* & psallam tibi in nationi-  
bus.

**Q**uia magna est super caelos mi-  
sericordia tua: \* & usque ad nubes  
veritas tua:

**E**xaltare super caelos DEVS, &  
super omnem terram gloria tua: \*  
ut liberentur dilecti tui.

**S**aluum fac dextera tua, & ex-  
audi me: \* DEVS locutus est in san-  
cto suo:

**E**xultabo, & diuidam Sichi-  
mam,\*

mam, \* & conuállem tabernaculorum dimétiar.

**M**eus est Gálaad, & meus est Manáſſes: \* & Ephraim fuscéptio cápitis mei.

**I**uda rex meus: \* Moab lebes ſpei meæ.

**I**n Idumæam exténdam calceamentum meum: \* mihi alienígenæ amíci facti ſunt.

**Q**uis dedûcet me in ciuitâtem munítam? \* quis dedûcet me vſque in Idumæam.

**N**ónne tu **D E V S**, qui repulíſti nos, \* & non exíbis **D E V S** in virtútibus noſtris?

**D**a nobis auxílium de tribulatióne: \* quia vana ſalus hóminis.

**I**n **D E O** faciémus virtútem: \* & ipſe ad níhilum dedûcet inimícos noſtros.

**ORA-**



## ORATIO.

**P**Arâtum est cor nostrum Dó-  
mine tibi psállere & cantâre iú-  
bilo mentis & vocis, quia tu es gló-  
ria consciéntiæ nostræ: confitêmur  
nómini tuo diuino, cùm magna sit  
super cælos misericórdia tua. Fac  
itaque vt illuc tendâmus, vbi tibi  
cânitur laus & glória in sæculôrum  
sæcula. Amen.

## PSALMVS CVIII.

*Quo quis petit indui zelo iustitiæ, vt  
suos, iustorumque persecutores re-  
primi & puniri optet.*

**D**EVS laudem meam ne tacue-  
ris: \* quia os peccatôris, &  
os dolósi super me apértum est.

**L**ocúti sunt aduérsum me lin-  
gua dolósa, & sermónibus ódij cir-  
cumdedérunt me: \* & expugnaue-  
runt me gratis.

**P**ro

**P**ro eo ut me diligerent, detrahébant mihi: \* ego autem orábam.

**E**t posuérunt aduersum me mala pro bonis: \* & ódium pro dilectiône mea.

**C**onstitue super eum peccatorem: \* & diabolus stet à dextris eius.

**C**ùm iudicâtur, éxeat condemnâtus: \* & oratio eius fiat in peccatum.

**F**iant dies eius pauci: \* & episcopatum eius accípiat alter.

**F**iant filij eius órphani: \* & vxor eius vídua.

**N**utântes transferântur filij eius, & mendícent: \* & eiiciântur de habitatióibus suis.

**S**crutêtur fcenerâtor omnem substantiam eius: \* & dirípiant aliéni labóres eius.

**N**on



**N**on sit illi adiutor: \* nec sit qui misereatur pupillis eius.

**F**iant nati eius in interitum: \* in generatione vna deleatur nomen eius.

**I**n memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: \* & peccatum matris eius non deleatur.

**F**iant contra Dominum semper, & dispareat de terra memoria eorum: \* pro eo quod non est recordatus facere misericordiam.

**E**t persecutus est hominem inopem, & mendicum, \* & compunctum corde mortificare.

**E**t dilexit maledictionem, & veniet ei: \* & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.

**E**t induit maledictionem sicut vestimentum, \* & intrauit sicut

Z

aqua

aqua in interiôra eius, & sicut  
ôleum in ôssibus eius.

**F**iat ei sicut vestiméntum, quo  
operîtur: \* & sicut zona, qua sem-  
per præcingitur.

**H**oc opus eôrum, qui détra-  
hunt mihi apud Dóminum: \* &  
qui loquúntur mala aduérsus áni-  
mam meam.

**E**t tu Dómine, Dómine, fac me-  
cum propter nomen tuum: \* quia  
suâvis est misericórdia tua:

**L**ibera me, quia egênus & pau-  
per ego sum: \* & cor meum con-  
turbátum est intra me.

**S**icut vmbra cùm declínat, ab-  
lâtus sum: \* & excússus sum sicut  
locústæ.

**G**énua mea infirmâta sunt à ie-  
iúnio: \* & caro mea immutâta est  
propter ôleum.

**E**t



**E**t ego factus sum opprobrium  
illis : \* viderunt me, & mouerunt  
capita sua.

**A**diuua me Dómine D E V S  
meus : \* saluum me fac secúndum  
misericórdiam tuam.

**E**t sciant quia manus tua hæc : \*  
& tu Dómine fecísti eam.

**M**aledícent illi , & tu benedí-  
ces : \* qui insúrgunt in me, confun-  
dántur : seruus auté tuus lætábitur.

**I**nduántur qui détrahunt mihi,  
pudóre : \* & operiántur sicut di-  
plóide confusióne sua.

**C**onfitêbor Dómino nimis in  
ore meo : \* & in médio multórum  
laudâbo eum.

**Q**uia ástitit à dextris páuperis,\*  
vt saluam fáceret à persecuéntibus  
ánimam meam.

**O**Mnípotens sempitérne DEVS,  
qui Fílium tuum Dóminum  
nostrum IESVM CHRISTVM, pro  
reátibus nostris, mortem crucis  
ignominiósam subíre voluísti, vt  
nos à morte æténa redímeres: fac  
quæsumus nobíscum misericór-  
diam propter nomen sanctú tuum,  
& líbera nos à persecuéntibus ví-  
tiis, & à diabolo calumniatóre, ne  
stet à dextris. Per eúndem CHRI-  
STVM Dóminum nostrum.

## PSALMVS CIX.

*Quo celebratur Christi regnum, sa-  
cerdotium, ac triumphus.*

**D**Ixit Dóminus Dño meo: \*  
Sede à dextris meis:

**D**onec ponam inimícos tuos,  
scabéllum pedum tuórum.

**V**irgam virtútis tuæ emíttet Dó-  
minus



minus ex Sion: \* dominâre in médio inimicôrum tuôrum.

**T**ecum principium in die virtutis tuæ in splendôribus sanctôrum: \* ex útero antelucíferum genuite.

**I**urâuit Dóminus, & non pœnitêbit eum: \* Tu es facêrds in ætérnum secúndum órđinem Melchisedech.

**D**óminus à dextris tuis, \* confrêgit in die iræ suæ reges.

**I**udicâbit in natiônibus, implebit ruínas: \* conquassâbit cápita in terra multôrum.

**D**e torrênte in via bibet: \* propterea exaltâbit caput.

## O R A T I O.

**O**Mnípotens DEVS, qui Fílium tuum, qui tecum principium est vnum & idem, genitúra infábili

fábili & ætérna genuísti; &, qui sacerdos factus secúndum órđinem Melchísedech, corpus & sánguinem próprium óbtulit in ara crucis ad reconciliatióem nostram, tibi obédiens vsque ad mortem: quæsumus, vt mors eius spontánea sit nobis vita ætérna. Amen.

## PSALMVS CX.

*Quo celebratur beneficium Eucharistiæ ac Legis Euangelicæ.*

**C**onfitêbor tibi Dómine in toto corde meo: \* in consílio iustórum, & congregatióne.

**M**agna ópera Dómini: \* exquisíta in omnes voluntátes eius.

**C**onfessio & magnificéntia opus eius: \* & iustítia eius manet in sæculum sæculi.

**M**emóriam fecit mirabílium suórum, miséricors & miserátor Dómi-



Dóminus: \* escam dedit timénti-  
bus se.

**M**emor erit in sæculum testa-  
ménti sui: \* virtûtem óperum suô-  
rum annuntiábit pópulo suo:

**V**t det illis hereditâtem Gén-  
tium: \* ópera mánuum eius véritas  
& iudícium.

**F**idélia ómnia mandâta eius:  
confirmâta in sæculum sæculi, \* fa-  
cta in veritâte & æquitâte.

**R**edemptiônem misit pópulo  
suo: \* mandâuit in ætérnum testa-  
méntum suum.

**S**anctum & terríbile nomen  
eius: \* inítium sapiéntiæ timor  
Dómini.

**I**nteléctus bonus ómnibus fa-  
ciéntibus eum: \* laudátio eius ma-  
net in sæculum sæculi.

**M**isericors & miserâtor Dñe,  
cuius ópera ómnia sunt vé-  
ritas & iudícium, tríbue nobis ti-  
môre nóminis tui sancti & terribi-  
lis, quem esse inítiu sapiéntiæ præ-  
dixísti, vt iustórum congregatióni  
admíxti, misericórdiæ tuæ elcis spi-  
rituálibus saginêmur. Amen.

## PSALMVS CXI.

*Quo quis postulat timorem Domini,  
& affectum misericordiae in pau-  
peres.*

**B**Eâtus vir, qui timet Dómi-  
num: \* in mandátis eius volet  
nimis.

**P**otens in terra erit semen eius: \*  
generátio rectórum benedicêtur.

**G**lória & diuítiae in domo eius: \*  
& iústitia eius manet in sæculum  
sæculi.

**E**xórtum



**E**xortum est in ténébris lumen  
rectis: \* miséricors, & miserâtor, &  
iustus.

**I**ucundus homo qui miseretur  
& commodat, dispônet sermônes  
suos in iudicio: \* quia in ætérnum  
non commouébitur.

**I**n memória ætérna erit iustus: \*  
ab auditiône mala non timébit.

**P**arâtum cor eius sperâre in Dô-  
mino, confirmâtum est cor eius: \*  
non commouébitur donec despí-  
ciat inimicos suos.

**D**ispérfit, dedit paupéribus: iu-  
stítia eius manet in sæculum sæ-  
culi, \* cornu eius exaltábitur in  
glória.

**P**eccâtor vidêbit, & irascetur,  
déntibus suis fremet & tabéscet: \*  
desidérium peccatôrum perîbit.

Z s

ORA-

**Q**Væsumus misericors & miserâtor Dñe, vt in consôrtio iustôrum & cōgregatiōe sanctôrum timeâmus te filiali affêctu; âdeò vt parâtum sit semper cor nostrum sperâre in te, & confirmâtum in amôre tuo, qui es única salus nostra: vt ópera misericórdiæ hîc exercêntes erga prôximum, à glória tua æterna non separêmur. Amen.

## PSALMVS CXII.

*Quo petitur humilitas, qua quis DEO  
excelsò placens exaltetur.*

**L**Audâte púeri Dóminum: \*  
laudâte nomen Dómini.

**S**it nomen Dómini benedíctum, \* ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

**A**solis ortu vsque ad occâsum, \*  
laudâbile nomen Dómini.

**E**xcel-



**E**xcelsus super omnes Gentes  
Dñs, \* & super cælos glória eius.

**Q**uis sicut Dóminus DEVS no-  
ster, qui in altis hábitat, \* & humí-  
lia réspicit in cælo & in terra?

**S**úscitans à terra ínopem, \* & de  
stércore érigens páuperem:

**V**t cóllocet eum cum princípí-  
bus, \* cum princípibus pópuli sui.

**Q**ui habitâre facit stérilem in  
domo, \* matrem filiôrum letântem.

## O R A T I O.

**L**Audântes nomen tuum om-  
nípotens DEVS, quod est bene-  
díctum in sæcula, rogâmus vt in si-  
nu matris Ecclésiæ collocátos sus-  
citâre dignêris, per tuam grátiã, nos  
peccatóres, misérijs & delíctis ob-  
noxios, & erígere de terrénis desi-  
dérijs & vitiôrum putrédine, vt non  
nisi cæléstia meditêmur. Amen.

PSAL.

## PSALMVS CXIII.

*Quo psallens celebrat DEI gratiam,  
qua à peccato & mundo, in celum  
à DEO euocatur & ducitur.*

**I**N éxitu Israël de Ægypto,\*  
domus Iacob de pópulo bár-  
baro :

**F**acta est Iudæa sanctificatio  
eius,\* Israël potestas eius.

**M**are vidit, & fugit: \* Iordânis  
conuérsum est retrórsim.

**M**ontes exultauérunt vt aríetes: \*  
& colles sicut agni óuium.

**Q**uid est tibi mare, quòd fugí-  
sti: \* & tu Iordânis, quia conuérsum  
es retrórsim?

**M**ontes exultástis sicut aríetes: \*  
& colles sicut agni óuium.

**A** fácie Dómini mota est terra,\*  
à fácie DEI Iacob.

**Q**ui conuértit petram in sta-  
gna



gna aquârum,\* & rupem in fontes aquârum.

**N**on nobis Dómine, non nobis: \* sed nómini tuo da glóriam.

**S**uper misericórdia tua, & veritate tua: \* nequándo dicant Gentes: Vbi est D E V s eórum?

**D**E V s autem noster in cælo: \* ómnia quæcúmque vóluit, fecit.

**S**imulâcra Géntium argéntum & aurum,\* ópera mánuum hóminum.

**O**s habent, & non loquéntur: \* óculos habent, & non vidébunt.

**A**ures habent, & non áudient: \* nares habent, & non odorábunt.

**M**anus habent, & non palpábunt: pedes habent, & non ambulábunt: \* non clamábunt in gútture suo.

**S**ímiles illis fiât qui faciunt ea: \*  
&

& omnes qui confidunt in eis.

**D**omus Israël sperâuit in Dómino: \* adiûtor eôrum & protéctor eôrum est.

**D**omus Aaron sperâuit in Dómino: \* adiûtor eôrum & protéctor eôrum est.

**Q**ui timent Dóminum, sperauerunt in Dómino: \* adiûtor eorum & protéctor eorum est.

**D**óminus memor fuit nostri: \* & benedíxit nobis:

**B**enedíxit dómui Israël: \* benedíxit dómui Aaron.

**B**enedíxit ómnibus qui timent Dóminum, \* pusíllis cum maióribus.

**A**díciat Dóminus super vos; \* super vos, & super filios vestros.

**B**enedícti vos à Dómino, \* qui fecit cælum & terram.

**C**ælum



**C**ælum cæli Dómino: \* terram  
autem dedit fílijs hóminum.

**N**on mórtui laudábunt te Dó-  
mine: \* neque omnes, qui descén-  
dunt in inférnum.

**S**ed nos qui víuimus, benedíci-  
mus Dómino, \* ex hoc nunc & vs-  
que in sæculum.

## O R A T I O.

**D**EVS, qui timéntibus & sperán-  
tibus in te adiûtor es & pro-  
tector; qui ómnia quæcúmque vo-  
luísti, fecísti in cælo & in terra; sis  
memor nostri, atque benedícas no-  
bis super miséricórdia tua atque  
veritáte tua, non nobis dando gló-  
riam, sed nómini tuo diuínu, quod  
vbique celebrêtur, & prædicêtur,  
ex hoc præsentí témpore vsque in  
sæculum. Amen.

PSAL-

*Quo psallens induit affectum diligendi DEVM, qui se à peccato, morte, & inferno liberauit.*

**D**ilexi, quóniam exáudiet Dóminus\* vocé oratiónis meæ.

**Q**uia inclinâuit aurem suam mihi:\* & in diêbus meis inuocâbo.

**C**ircumdedérunt me dolóres mortis:\* & perícula inférni inuénérunt me.

**T**ribulatiónem & dolórem inuéní:\* & nomen Dómini inuocâui.

**O**Dómine líbera ánimã meam:\* misericors Dóminus, & iustus, & DEVS noster miserêtur.

**C**ustódiês páruulos Dóminus:\* humiliâtus sum, & liberâuit me.

**C**onuértere ánima mea in réquiem tuam:\* quia Dóminus benefêcit tibi.

**Q**uia



**Q**uia eripuit animam meam de morte: \* oculos meos à lácrymis, pedes meos à lapsu.

**P**lacêbo Dómino \* in regiõe viuorum.

## ORATIO.

**E**Xáudi Dómine vocem deprecationis meæ, & libera animam meam de morte peccati atque æternæ damnatiõnis, quia circumdedérunt me tentatiões graues & delicta. Custódi me per tuam grátiam, vt non incidam de via iustitiæ in fôueam peccati: imò ab inférni perículis érutum, in regiõe viuorum, & glória beatorum, me constituas in ætérnum. Amen.

*Quo provocatur quis ut pergat  
DEVM liberatorem diligere, eiꝛue  
gratias agere.*

**C**Rédidi, propter quod locû-  
tus sum: \* ego autem humi-  
liâtus sum nimis.

**E**go dixi in excéssu meo: \* Om-  
nis homo mendax.

**Q**uid retríbuam Dómino, \* pro  
ómñibus quæ retríbuit mihi?

**C**álicem salutâris accípiam, \* &  
nomen Dómini inuocâbo.

**V**ota mea Dño reddam coram  
omni pópulo eius: \* pretiôsa in con-  
spéctu Dñi mors sanctôrum eius.

**O**Dñe, quia ego seruus tuus: \*  
ego seruus tuus, & filius ancíllę tuę.

**D**irupísti víncula mea: \* tibi sa-  
crificâbo hóstiã laudis, & no-  
men Dómini inuocâbo.

**V**ota



**V**ota mea Dño reddam in conspectu omnis pópuli eius: \* in átrijs domus Dñi, in médio tui Ierúsalé.

## ORATIO.

**I**Nuocâmus nomen tuum Dómine, grátiam & misericórdiam implorâdo, qui ex fragilitâte nostræ natúræ impoténtes sumus ad omne bonum, destitúti omni solatio ac virtútibus. Quocírcà dirumpere dignêris víncula peccatorum nostrórum, vt sic à delíctis líberi, mereâmur cæléstis Ierúsalem gáudijs pérfrui. Amen.

## PSALMVS CXVI.

*Quo inuitantur omnes Gentes ad laudandam DEI misericordiam.*

**L**Audâte Dóminum omnes Gentes: \* laudâte eum omnes pópuli:

**Q**uóniam confirmâta est super

A a 2

nos

nos misericórdia eius: \* & veritas  
Dómini manet in ætérnum.

## ORATIO.

**O**Mnípotés Deus, qui ómnium  
Géntium ore laudáris, quia  
Dñs pro seruis, iustus pro peccató-  
ribus, incarnári, nasci, & mori di-  
gnátus es; súpplices te precámur, ne  
déseras nos órphanos; sed confir-  
ma super nos misericórdiam & ve-  
ritátem tuam in ætérnum. Amen.

## PSALMVS CXVII.

*Quo psallens laudat DEI in se mise-  
ricordiam, qua à demonibus &  
hostibus saluatus est.*

**C**onfitémini Dómino quóniam  
bonus: \* quóniam in  
sæculum misericórdia eius.

**D**icat nunc Israël quóniam bo-  
nus: \* quóniam in sæculum miseri-  
córdia eius.

**D**icat



**D**ícat nunc domus Aaron: \*  
quóniam in sæculum misericór-  
dia eius.

**D**icant nunc qui timent Dómi-  
num: \* quóniam in sæculum mi-  
sericórdia eius.

**D**e tribulatióne inuocáui Dó-  
minum: \* & exaudíuit me in lati-  
túdine Dóminus.

**D**óminus mihi adiûtor: \* non  
timêbo quid fáciat mihi homo.

**D**óminus mihi adiûtor: \* & ego  
despíciam inimícos meos.

**B**onum est confídere in Dómi-  
no, \* quàm confídere in homine:

**B**onum est sperâre in Dómino,  
quàm sperâre in princípibus.

**O**mnes Gentes circuíerunt me: \*  
& in nómine Dómini quia vltus  
sum in eos.

**C**ircumdântes circumdedérunt

A a 3

me: \*

me: \* & in nómine Dómini quia  
ultus sum in eos.

**C**ircumdedérunt me sicut apes,  
& exarsérunt sicut ignis in spinis: \*  
& in nómine Dómini quia ultus  
sum in eos.

**I**mpúlsus euérsus sum vt cáde-  
rem: \* & Dóminus fuscêpit me.

**F**ortitúdo mea, & laus mea Dñs: \*  
& factus est mihi in salûtem.

**V**ox exultatiônis & salûtis, \* in  
tabernáculis iustôrum.

**D**éxtera Dómini fecit virtûtem:  
déktera Dómini exaltâuit me, \*  
déktera Dómini fecit virtûtem.

**N**on móriar, sed viuam: \* & nar-  
rábo ópera Dómini.

**C**astígans castigâuit me Dómi-  
nus: \* & morti non trádedit me.

**A**períte mihi portas iustítiæ, in-  
gréssus in eas confitêbor Dómino: \*  
hæc



hæc porta Dómini, iustj intrábunt  
in eam.

**C**onfitêbor tibi quóniam exau-  
dísti me: \* & factus es mihi in sa-  
lûtem.

**L**ápidem, quem reprobauérunt  
ædificâtes: \* hic factus est in caput  
ánguli.

**A**Dómino factum est istud: \*  
& est mirábile in óculis nostris.

**H**æc est dies, quam fecit Dómi-  
nus: \* exultêmus, & lætêmur in ea.

**O**Dómine saluum me fac, ôDó-  
mine benè prosperâre: \* benedíctus  
qui venit in nómine Dómini.

**B**enedíximus vobis de domo  
Dómini: \* **D**E V S Dóminus, & il-  
lúxit nobis.

**C**onstitúite diem solémnem in  
condénfis, \* vsque ad cornu altâris.

**D**E V S meus es tu, & confitê-

A a 4

bor

bor tibi: \* DEVS meus es tu, & exaltâbo te.

**C**onfitêbor tibi quóniam exaudísti me: \* & factus es mihi in salûtem.

**C**onfitêmini Dómino quóniam bonus: \* quóniam in sæculum misericórdia eius.

ORATIO.

**C**onfolatio tribulatiónum nostrârum, piíssime DEVS, qui iustórum tabernacula lætítia perfúndis; exálta Ecclesiám tuam virtûte poténtis dexteræ, qua fiat porta iustítia, vt per eam ingrediamur viam salûtis; & ita se angulári stabilitâte connéctat, vt tua resurrectione clarificâta refúlgat. Amen.

PSAL-



## PSALMVS CXVIII.

*Quo petitur studium, amor,  
et zelus DEI.*

**B**eatí immaculáti in via: \* qui  
ámbulant in lege Dómini.

**B**eatí, qui scrutántur testimónia  
eius: \* in toto corde exquírunt eum.

**N**on enim qui operántur iniqui-  
tâtem, \* in viis eius ambulauerunt.

**T**u mandásti \* mandâta tua cu-  
stodíri nimis.

**V**tinam dirigántur viæ meæ, \* ad  
custodiéndas iustificatiónes tuas.

**T**unc non confúndar, \* cùm per-  
spéxero in ómnibus mandátis tuis.

**C**onfitêbor tibi in directiône  
cordis: \* in eo quòd dídici iudícia  
iustítiæ tuæ.

**I**ustificatiónes tuas custódiam: \*  
non me derelínquas vsquequâque.

**I**n quo córrigit adolescéntior

A a s viam

viam suam? \* in custodiendo sermones tuos.

**I**n toto corde meo exquisiui te: \* ne repellas me à mandatis tuis.

**I**n corde meo abscondi eloquia tua: \* vt non peccem tibi.

**B**enedictus es Dómine: \* doce me iustificatiónes tuas.

**I**n lábijs meis, \* pronuntiáui ómnia iudícia oris tui.

**I**n via testimoniórum tuórum delectátus sum, \* sicut in ómnibus diuítijs.

**I**n mandátis tuis exercêbor: \* & considerábo vias tuas.

**I**n iustificatió nibus tuis meditabor: \* non obliuís car sermones tuos.

**R** Etribue seruo tuo, viuífica me: \* & custódiam sermones tuos.

**R** euéla



**R**euéla óculos meos: \* & considerábo mirabilia de lege tua.

**I**ncola ego sum in terra: \* non abscondas à me mandata tua.

**C**oncupiuit ánima mea desiderare iustificatiónes tuas, \* in omni témpore.

**I**ncrepásti supérbos: \* maledícti qui declínant à mandátis tuis.

**A**ufer à me oppróbrium, & contéptum: \* quia testimónia tua exquisíui.

**E**tenim sedérunt príncipes, & aduérsum me loquebántur: \* seruus autem tuus exercebátur in iustificatióibus tuis.

**N**am & testimónia tua meditá-tio mea est: \* & consílium meum iustificatiónes tuæ.

**A**dhæsit pauiméto ánima mea: \* viuífica me secúndũ verbum tuũ.

**V**ias

**V**ias meas enuntiáui, & exau-  
dísti me: \* doce me iustificatió-  
nes tuas.

**V**iam iustificatiónum tuârum  
instrue me: \* & exercêbor in mira-  
bilibus tuis.

**D**ormitâuit ánima mea præ tæ-  
dio: \* confírma me in verbis tuis.

**V**iam iniquitâtiſ á moue à me: \*  
& de lege tua miserêre mei.

**V**iam veritâtiſ elégi: \* iudícia  
tua non sum oblîtus.

**A**dhæsi testimónijs tuis Dómi-  
ne: \* noli me confúndere.

**V**iam mandatôrum tuôrum cu-  
cúrri, \* cùm dilatásti cor meum.

**L**Egem pone mihi Dómine  
viam iustificatiónum tuârum: \*  
& exquîram eam semper.

**D**a mihi intelléctum, & scru-  
tabor legem tuam: \* & custódiam  
illam



illam in toto corde meo.

**D**educ me in sēmitam mandatorum tuorum: \* quia ipsam volui.

**I**ncлина cor meum in testimonia tua: \* & non in auaritiam.

**A**uerte oculos meos ne videant vanitatem: \* in via tua viuifica me.

**S**tatue seruo tuo eloquium tuū, \* in timore tuo.

**A**mputa opprobrium meum, quod suspicatus sum: \* quia iudicia tua iucunda.

**E**cce concupiui mandata tua: \* in æquitate tua viuifica me.

**E**t veniat super me misericordia tua Dómine: \* salutare tuum secundum eloquium tuum.

**E**t respondēbo exprobrantibus mihi verbum: \* quia speraui in sermonibus tuis.

**E**c

**E**t ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: \* quia in iudicijs tui supersperaui.

**E**t custodiã legem tuã semper: \* in sæculum & in sæculum sæculi.

**E**t ambulabam in latitudine: \* quia mandata tua exquisiui.

**E**t loquẽbar in testimoniis tuis in conspectu regum: \* & non confundẽbar.

**E**t meditabar in mandatis tuis, \* quæ diléxi.

**E**t leuaui manus meas ad mandata tua, quæ diléxi: \* & exercẽbar in iustificatiõibus tuis.

**M**emor esto verbi tui seruo tuo, \* in quo mihi spem dedisti.

**H**æc me consolata est in humilitate mea: \* quia elóquium tuum viuificauit me.

**S**upérbi



**S**upérbi iníquè agébant vsque-  
quâque: \* à lege autem tua non  
declináui.

**M**emor fui iudiciôrum tuôrum  
à sæculo Dñe: \* & consolâtus sum.

**D**efectio ténuit me, \* pro pec-  
catóribus derelinquéntibus legem  
tuam.

**C**antábiles mihi erant iustifi-  
cations tuæ, \* in loco peregrina-  
tionis meæ.

**M**emor fui nocte nóminis tui  
Dómine: \* & custodíui legem tuá.

**H**æc facta est mihi: \* quia iusti-  
ficationes tuas exquisíui.

**P**órtio mea Dómine, \* dixi cu-  
stodíre legem tuam.

**D**eprecâtus sum fáciem tuam  
in toto corde meo: \* miserêre mei  
secúndum elóquium tuum.

**C**ogitáui vias meas: \* & conuér-  
ti

ti pedes meos in testimonia tua.

**P**aratus sum, & non sum turbatus: \* vt custodiam mandata tua.

**F**unes peccatorum circumpléxi sunt me: \* & legem tuam non sum oblitus.

**M**édia nocte surgēbam ad confitendum tibi, \* super iudicia iustificatiōis tuæ.

**P**articeps ego sum omnium timēntium te: \* & custodiēntium mandata tua.

**M**isericórdia tua Dómine plena est terra: \* iustificatiōes tuas doce me.

**B**onitatem fecísti cum seruo tuo Dómine, \* secúndum verbum tuum.

**B**onitatem, & disciplinam, & sciéntiam doce me: \* quia mandá-  
tis tuis crédidi.

**P**rius-



**P**riusquam humiliârer ego deliqui: \* propterea elóquium tuum custodíui.

**B**onus es tu: \* & in bonitâte tua doce me iustificatiónes tuas.

**M**ultiplicâta est super me iniquitas superbôrum: \* ego autem in toto corde meo scrutabor mandâta tua.

**C**oagulâtum est sicut lac cor eôrum: \* ego verò legem tuam meditâtus sum.

**B**onum mihi quia humiliâsti me: \* vt discam iustificatiónes tuas.

**B**onum mihi lex oris tui, \* super millia auri, & argénti.

**M**anus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me: \* da mihi intellectum, & discam mandâta tua.

**Q**ui timent te videbunt me,  
B b &

& lætabúntur: \* quia in verba tua  
supersperáui.

**C**ognóui Dómine quia æqui-  
tas iudícia tua: \* & in veritâte tua  
humiliásti me.

**F**iat misericórdia tua vt conso-  
lêtur me, \* secúndum elóquium  
tuum seruo tuo.

**V**éniant mihi miserationes tuæ,  
& viuam: \* quia lex tua meditá-  
tio mea est.

**C**onfundántur supérbi, quia  
iniústè iniquitâtem fecérunt in  
me: \* ego autem exercêbor in man-  
dátis tuis.

**C**onuertántur mihi timéntes  
te: \* & qui nouérunt testimó-  
nia tua.

**F**iat cor meum immaculátum  
in iustificatióibus tuis, \* vt non  
confúndar.

**D** efê-



**D**efecit in salutâre tuum âni-  
ma mea : \* & in verbum  
tuum supersperâui.

**D**efecérunt óculi mei in eló-  
quium tuum, \* dicétes: Quando  
consoláberis me?

**Q**uia factus sum sicut vter in  
pruína : \* iustificatiónes tuas non  
sum oblítus.

**Q**uot sunt dies serui tui : \* quan-  
do fácies de persecuéntibus me iu-  
dícium?

**N**arrauerunt mihi iníqui fabu-  
latiões : \* sed non vt lex tua.

**O**mnia mandâta tua véritas : \*  
iníquè persecúti sunt me, ádiuua  
me.

**P**aulò minùs consummauerunt  
me in terra, \* ego autem non de-  
relíqui mandâta tua.

**S**ecúndùm misericórdiam tuam

B b 2

viuí-

uiuifica me: \* & custódiam testi-  
mónia oris tui.

**I**n ætérnum Dómine,\* verbum  
tuum pérmanet in cælo.

**I**n generatióem & generatió-  
nem véritas tua:\* fundásti terram,  
& pérmanet.

**O**rdinatióne tua persequêrat dies:\*  
quóniam ómnia séruiunt tibi.

**N**isi quòd lex tua meditatio  
mea est: \* tunc fortè periíssem in  
humilitâte mea.

**I**n ætérnum non obliuísca*r* iu-  
stificatióes tuas: \* quia in ipsis vi-  
uificásti me.

**T**uus sum ego, saluum me fac:\*  
quóniam iustificatióes tuas ex-  
quisiui.

**M**e expectauérunt peccatóres vt  
pérderent me: \* testimónia tua in-  
tellexi.

**O**mnis



**O**mnis consummationis vidi finem: \* latum mandatum tuum nimis.

**Q**uomodo dilexi legem tuam Domine: \* tota die meditatio mea est.

**S**uper inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo: \* quia in æternum mihi est.

**S**uper omnes docentes me intellexi: \* quia testimonia tua meditatio mea est.

**S**uper senes intellexi: \* quia mandata tua quæsiui.

**A**b omni via mala prohibui pedes meos: \* vt custodiam verba tua.

**A**iudicijs tuis non declinaui: \* quia tu legem posuisti mihi.

**Q**uam dulcia faucibus meis elóquia tua, \* super mel ori meo!

**A**mandatis tuis intellexi: \* propterea

B b 3

pterea

pterea odiui omnem viam iniquitatis.

**L**ucerna pedibus meis verbum tuum,\* & lumen semitis meis.

**I**uravi, & statui \* custodire iudicia iustitiae tuae.

**H**umiliatus sum usquequaque Domine: \* vivifica me secundum verbum tuum.

**V**oluntaria oris mei beneplacita fac Domine: \* & iudicia tua doce me.

**A**nima mea in manibus meis semper: \* & legem tuam non sum oblitus.

**P**osuerunt peccatores laqueum mihi,\* & de mandatis tuis non erravi.

**H**ereditate acquisivi testimonia tua in aeternum: \* quia exultatio cordis mei sunt.

**I**ncli-



Inclináui cor meum ad faciéndas iustificatiónes tuas in ætérnum,\* propter retributiónem.

**I**Níquos ódio hábui:\* & legem tuam diléxi.

**A**diûtor & súsceþtor meus es tu:\* & in verbum tuum supersperáui.

**D**eclinâte à me maligni:\* & scrutabor mandâta D E I mei.

**S**úscipe me secúndum elóquium tuum, & viuam:\* & non confúndas me ab expectatióne mea.

**A**diuua me, & saluus ero:\* & meditabor in iustificatió nibus tuis semper.

**S**preuísti omnes discedéntes à iudíciis tuis:\* quia iniústa cogitatio eórum.

**P**ræuaricántes reputáui omnes peccatóres terræ:\* ideo diléxi testimónia tua.

B b 4

Con-

**C**onfige timôre tuo carnes meas: \*  
à iudícijs enim tuis tímui.

**F**eci iudícium & iustítiam: \* non  
tradas me calumniántibus me.

**S**úscipe seruum tuum in bonũ: \*  
non calumniéntur me supérbi.

**O**culi mei defecérunt in salutâ-  
re tuum: \* & in elóquium iustí-  
tiæ tuæ.

**F**ac cum seruo tuo secúndum  
misericórdiam tuam: \* & iustifica-  
tiones tuas doce me.

**S**eruus tuus sum ego: \* da mihi  
intelléctũ, vt sciam testimónia tua.

**T**empus faciéndi Dómine: \* dis-  
sipauérunt legem tuam.

**I** deò diléxi mandâta tua, \* super  
aurum & topázion.

**P**roptéreà ad ómnia mandâta  
tua dirigêbar: \* omnem viam inî-  
quam ódio hábui.

**M**ira-



**M**irabilia testimónia tua: \*  
ídeò scrutâta est ea ánima  
mea.

**D**eclaratio sermônum tuorum  
illúminat: \* & intelléctum dat  
páruulis.

**O**s meum apérui, & attráxi spíri-  
tum: \* quia mādâta tua desiderábâ.

**A**spice in me, & miserêre mei,\*  
secúndum iudícium diligéntium  
nomen tuum.

**G**ressus meos dírige secúndum  
elóquium tuum: \* & non domi-  
nêtur mei omnis iniustítia.

**R**édime me à calúnnijs hó-  
minum: \* vt custódiam mandâ-  
ta tua.

**F**áciem tuam illúmina super  
seruum tuum: \* & doce me iusti-  
ficatióes tuas.

**E**xitus aquârum deduxérunt  
B b s                      óculi

oculi mei: \* quia non custodiérunt  
legem tuam.

Iustus es Dómine: \* & rectum  
iudícium tuum.

Mandásti iustítiam testimónia  
tua: \* & veritâtem tuam nimis.

T abéscere me fecit zelus meus: \*  
quia oblíti sunt verba tua inimíci  
mei.

I gnítum elóquium tuum vehe-  
ménter, \* & seruus tuus diléxit illud.

A dolescéntulus sum ego, &  
contémptus: \* iustificatiónes tuas  
non sum oblítus.

Iustítia tua, iustítia in ætér-  
num: \* & lex tua véritas.

T ribulátio & angústia inuené-  
runt me: \* mandâta tua meditatio  
mea est.

Æ quitas testimónia tua in ætér-  
num: \* intelléctū da mihi, & viam.

C la-



**C**lamáui in toto corde meo,  
exáudi me Dómine: \* iusti-  
ficatiónes tuas requíram.

**C**lamáui ad te, saluum me fac: \*  
vt custódiam mandâta tua.

**P**ræuēni in maturitatē, & cla-  
máui: \* quia in verba tua super-  
speráui.

**P**reuenérunt óculi mei ad te di-  
lúculo: \* vt meditârer elóquia tua.

**V**ocem meam audi secúndum  
misericórdiam tuam Dómine: \* &  
secúndum iudícium tuum viuífi-  
ca me.

**A**ppropinquauérunt persecúen-  
tes me iniquitati: \* à lege autem  
tua longè facti sunt:

**P**ropè es tu Dómine: \* & omnes  
viæ tuæ véritas.

**I**nítio cognóui de testimóniis  
tuis: \* quia in ætérnum fundásti ea.

**V**ide

**V**ide humilitatem meam, & eripe me: \* quia legem tuam non sum oblitus.

**I**udica iudicium meum, & redime me: \* propter eloquium tuum viuifica me.

**L**ongè à peccatoribus salus: \* quia iustificationes tuas non exquisierunt.

**M**isericordiae tuae multae Domine: \* secundum iudicium tuum viuifica me.

**M**ulti qui persequuntur me, & tribulant me: \* à testimonijs tuis non declinaui.

**V**idi prauaricantes, & tabescebam: \* quia eloquia tua non custodiuerunt.

**V**ide quoniam mandata tua dilexi Domine: \* in misericordia tua viuifica me.

**P**rin-



**P** rincípium verbôrum tuôrum,  
véritas: \* in ætérnum ómnia iudí-  
cia iustítiæ tuæ.

**P** Ríncipes perfecúti sunt me.  
gratis: \* & à verbis tuis for-  
midâuit cor meum.

**L** ætâbor ego super elóquia  
tua: \* sicut qui inuénit spólia  
multa.

**I** niquitâtem ódio hábui, & abo-  
minâtus sum: \* legem autem tuam  
diléxi.

**S** épties in die laudem dixi tibi,  
super iudícia iustítiæ tuæ.

**P** ax multa diligéntibus legem  
tuam: \* & non est illis scándalum.

**E** xpectâbam salutâre tuum Dó-  
mine: \* & mandâta tua diléxi.

**C** ustodíuit ánima mea testi-  
mónia tua: \* & diléxit ea vche-  
ménter.

**S** eruáui

**S**eruáui mandâta tua , & testi-  
mónia tua: \* quia omnes viæ meæ  
in conspéctu tuo.

**A**ppropínquet deprecátio mea  
in conspéctu tuo Dómine: \* iuxta  
elóquium tuum da mihi intellé-  
ctum.

**I**ntret postulátio mea in con-  
spéctu tuo: \* secúndum elóquium  
tuum éripe me.

**E**ructábunt lábia mea hym-  
num, \* cùm docúeris me iustifica-  
tiones tuas.

**P**ronuntiâbit lingua mea eló-  
quium tuum: \* quia ómnia man-  
dâta tua æquitas.

**F**iat manus tua, vt saluet me: \*  
quóniam mandâta tua elégi.

**C**oncupíui salutâre tuum Dó-  
mine: \* & lex tua meditátio mea  
est.

**V** iuet



**V**iuert ánima mea, & laudâbit  
te: \* & iudícia tua adiuuábunt me.

**E**rráui, sicut ouis quæ périit: \*  
quere seruum tuum, quia mandâta  
tua non sum oblîtus.

## O R A T I O.

**S**pes humáni géneris **CHRISTE**,  
refúgium nostrum & virtus,  
cuius lumen à longè inter caliginó-  
sas nébulas, super maris procéllas,  
quasi stellæ maris rádius, óculos  
nostros irrádiat, vt dirigâmur ad te  
portum: gubérna Dómine nauem  
nostram tua dextera, clauo Crucis  
tuæ, ne pereâmus in flúctibus, ne  
nos demérgat tempésta aquæ, ne  
absórbeat nos profúndum: sed vir-  
túte Crucis trahe nos ab hoc péla-  
go ad solâmen únicum nostrum;  
quem à longè, quasi stellam matu-  
tínâ & solem iustítiæ, vix lacry-  
mánti-

mántibus óculis, in líttore cæléstis  
 pátriæ nos expectántem vidémus.  
 En ad te clamâmus redempti tui,  
 quos pretiósó Sâguine redemísti,  
 exáudi nos DEVS salutâris noster,  
 spes ómnium finium terræ, & in  
 mari longè. In mari turbulénto  
 versâmur, tu in líttore stans áspicis  
 perícula nostra; saluos nos fac pro-  
 pter nomen tuum. Da, vt salua  
 naue & mércibus, secúri perueniâ-  
 mus ad portum. Amen.

## PSALMVS CXIX.

*Quo versans hinc anima inter impios,  
 suspirat ad Sanctorum consor-  
 tium in celis.*

**A**DDóminum cùm tribulâ-  
 rer clamáui: \* & exaudíuit  
 me.

**D**ómine libera ánimam meam  
 à lábijs iníquis, \* & à lingua dolósa.

**Q**uid



**Q**uid detur tibi, aut quid apponatur tibi \* ad linguam dolosam?

**S**agittæ potentis acutæ, \* cum carbonibus desolatorijs.

**H**eu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar: \* multum incola fuit anima mea.

**C**um his qui odérunt pacem, eram pacíficus: \* cum loquebar illis, impugnábant me gratis.

## ORATIO.

**O**Mnípotens & misericors  
**D**EVS, à tribulationibus  
 cunctis éripe nos, & libera ani-  
 mas nostras à lábiis detrahén-  
 tium & iniquorum; vt adiutorijs  
 spirituálibus præmuníti, nullis  
 impugnatióibus obruámur. Per  
**C**H R I S T V M.

Cc

PSAL-

*Quo petit psallens, ut DEVS se custodiat, omniaque sua opera dirigat.*

**L**euáui óculos meos in mótes,  
vnde véniet auxílium mihi.  
**A**uxílium meum à Dómino,  
qui fecit cælum & terram.

**N**on det in commotiõnem pedem tuum: \* neque dormîtet qui custôdit te.

**E**cce non dormitâbit, neque dormiet,\* qui custôdit Israël.

**D**óminus custôdit te, Dóminus protéctio tua \* super manum dexteram tuam.

**P**er diem sol non vret te: \* neque luna per noctem.

**D**óminus custôdit te ab omni malo: \* custódiat ánimam tuam Dóminus.

**D**óminus custódiat intróitum tuum



tuum, & éxitum tuum; \* ex hoc  
nunc, & vsque in sæculum.

## ORATIO.

**O**Mnípotens DEVS, qui fecí-  
sti cælum & terram, sis auxí-  
lium & protéctio nostra in tenta-  
tiónibus nostris: ne patiâris humá-  
no afféctu nos labi in peccátis, sed  
custódias ánimas nostras per tuam  
grátiam ab omni malo, ab intróí-  
tu vitæ nostræ vsque ad éxitum  
eius. Per CHRISTVM Dóminum  
nostrum. Amen.

## PSALMVS CXXI.

*Quo letatur & iubilat anima, quòd  
vocata sit ad Ecclesiam & cælum.*

**L**ætatus sum in his, quæ di-  
cta sunt mihi: \* in domum  
Dómini íbimus.

S tantes erant pedes nostri, \* in  
átriis tui Ierúsalem.

Cc 2

I erú-

**I**erúsalem, quæ ædificâtur vt  
ciuitas: \* cuius participatio eius  
in idípsum.

**I**lluc enim ascendérunt tribus,  
tribus. Dómini: \* testimónium  
Israël ad confiténdum nómini  
Dómini.

**Q**uia illic sedérunt sedes in  
iudicio, \* sedes super domum  
Dauid.

**R**ogâte quæ ad pacem sunt Ie-  
rúsalem: \* & abundántia diligen-  
tibus te:

**F**iat pax in virtûte tua: \* & abun-  
dántia in túrribus tuis.

**P**ropter fratres meos, & pró-  
ximos meos, \* loquêbar pacem  
de te:

**P**ropter domum Dómini DEI  
nostri, \* quæsiui bona tibi.

ORA-



## ORATIO.

**D**A, quæsumus Dómine, diligéntibus te, & nomen tuum diuînum confiténtibus, abundantiam bonórum spirituálium, vt omnes astricti hîc vínculo charitátis, & ambulátes in átrijs Ecclesiæ tuæ in vnitáte fidei, tandem in Ierúsalem, ciuitáte cælesti, quæ ædificâtur ex Sanctórum contubérnio, participatióne mútua, lætémur in idípsum te verum DEVM Dóminum nostrum. Amen.

## PSALMVS CXXII.

*Quo excitatur homo vt oculos leuet ad DEVM, eiusque opem in quauis vexatione imploret.*

**A**D te leuáui óculos meos,\*  
qui hábitas in cælis.

Ecc'e sicut óculi seruórum,\* in  
mánibus dominórum suórum,

LIBROS  
DEL DR.  
L. MARCO

Cc 3

Sicut

Sicut oculi ancillæ in manibus  
dominæ suæ: \* ita oculi nostri ad  
Dominum DEVM nostrum, do-  
nec misereatur nostri.

Miserere nostri Domine, mise-  
rere nostri: \* quia multum repleti  
sumus despectiōe:

Quia multum repleta est anima  
nostra: \* opprobrium abundanti-  
bus, & despectio superbis.

## ORATIO.

Cælorum habitator DEVS, ad  
te leuamus oculos nostros,  
precantes, vt confutatis opprobriis  
superbōrum, despectiōibus diui-  
tum, nobis misericordiam solitam  
clementer largiāris, ad quem assī-  
duè oculos dirigimus, donec mi-  
sereāris nostri, liberādo ab omni-  
bus malis, præteritis, præsentibus,  
& futuris. Amen.

PSAL-



## PSALMVS CXXIII.

*Quo anima gratias agit DEO, quòd  
se à peccato, demonis potestate,  
ac insidiis liberarit.*

**N**isi quia Dóminus erat in  
nobis, dicat nunc Israël: \*  
nisi quia Dóminus erat in nobis,

**C**ùm exúrgerent hómines in  
nos, \* fortè viuos deglutíssent nos:

**C**ùm irascerêtur furor eòrum in  
nos, \* fòrsitã aqua absorbuíssent nos.

**T**orréntem pertransiuit ánima  
nostra: \* fòrsitan pertransíssent áni-  
ma nostra aquam intolerábilem.

**B**enedíctus Dóminus, \* qui non  
dedit nos in captiònem dentibus  
eòrum.

**A**nima nostra sicut passer eré-  
pta est \* de láqueo venántium.

**L**áqueus contrítus est, \* & nos  
liberáti sumus.

**A**diutórium nostrum in nómine Dómini, \* qui fecit cælum & terram.

## O R A T I O.

**Q**Væsumus Dómine, creâtor cæli & terræ, vt per grátiam tuam semper sis in nobis, líberans nos de insídiis ac deceptiónibus dæmonum, láqueos peccatôrum nostrôrum conteréndo, vt qui de nostra virtûte diffidimus, nóminis tui adiutório muniâmur. Per **C H R I S T V M** Dóminum nostrum. Amen.

## P S A L M V S C X X I V.

*Quo postulatur spes in DEO, mensque  
fixa & immobilis.*

**Q**Vi confidunt in Dómino, sicut mons Sion: \* non commouébitur in ætérnum, qui hábitat in Ierúsalem.

**M**on-



**M**ontes in circúitu eius: \* & Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc & vsque in sæculum.

**Q**uia non relínquet Dóminus virgam peccatôrum super sortem iustôrum: \* vt non exténdant iusti ad iniquitâtem manus suas.

**B**énéfac Dómine bonis, \* & re-ctis corde.

**D**eclinântes autem in obligatiônes, addûcet Dóminus cum operântibus iniquitâtem: \* pax super Israël.

## O R A T I O.

**R**Epelle Dómine nequítias insurgéntium à sorte iustôrum, & serua nos, ne commoueâmur à stabilitâte fidei & virtûtis. Ne quoque per blandítias carnis declinêmus ad prauitâtes nostras: sed præsta, vt qui in te toto corde confídi-

C c 5

mus,

mus, nullis tentationum procéllis  
quatiâmur. Amen.

## PSALMVS CXXV.

*Quo mens ruminet, & prægustet læ-  
titiam euntium ex hoc exilio ad  
patriam celestem.*

**I**N conuertendo Dóminus ca-  
ptiuitâtem Sion, \* facti sumus  
sicûť consolâti:

**T**unc replétum est gáudio os  
nostrum; \* & lingua nostra exul-  
tatione.

**T**unc dicent inter Gentes: \* Ma-  
gnificâuit Dóminus fácere cum  
eis.

**M**agnificâuit Dóminus fá-  
cere nobíscum: \* facti sumus læ-  
tântes.

**C**onuérte Dómine captiuitâ-  
tem nostram, \* sicut torrens in  
Austro.

**Q**ui



Qui ſeminant in lácrymis, \* in  
exultatióne metent.

Eúntes ibant & flebant, \* mit-  
téntes ſemina ſua.

Veniéntes autem vénient cum  
exultatióne, \* portántes manípulos  
ſuos.

## ORATIO.

**C**onſolâre Dómine pópulum  
tuum, & reple nos gáudio ſpi-  
rituáli, atque magnífica miſericór-  
diam tuam fácere nobíſcum, libe-  
rándo nos à captiuitáte péſſima  
vitiôrum & diáboli: vt quod híc  
in bonis opéribus feminâmus, tan-  
dem ex eo fructum æternæ vitæ  
recipiâmus in præmium & corô-  
nam gaudiôrum. Amen.

*Quo oratur DEVS, ut anima virtutibus se perficiat, & ædificet in templum DEI.*

**N**isi Dóminus ædificáuerit domum, \* in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

**N**isi Dñs custodierit ciuitatem, \* frustra vígilat qui custôdit eam.

**V**anum est vobis ante lucẽ súrgere: \* súrgite postquam sedéritis, qui manducátis panem dolôris.

**C**ùm déderit diléctis suis somnum: \* ecce heréditas Dómini, filij; merces, fructus ventris.

**S**icut sagittæ in manu poténtis: \* ita filij exculsôrum.

**B**eátus vir, qui implêuit desidérium suum ex ipsis: \* non confundêtur cùm loquêtur inimícis suis in porta.

**ORA-**



## ORATIO.

**C**ongregatiōnem fidélium in  
vnitāte spíritus custódi Dñe; &  
nos filios tuos renátos ex aqua &  
spíritu in Ecclesiā, quam ædificā-  
sti ságuine tuo, fac súrgerē à pec-  
cātis per lumē grátiaē tuæ: vt abun-  
dātes in opéribus bonis, simus  
heréditas tua, & tu merces nostra,  
qui es CHRISTVS fructus benedí-  
ctus ventris virginális. Amen.

## PSALMVS CXXVII.

*Quo psallens petit ex uxore, id est  
carne sua, parere DEO proles  
bonorum operum, quibus gau-  
dium & pacem híc et in celo as-  
sequatur.*

**B**Eati omnes qui timent DÓ-  
minum, \* qui ámbulant in  
viis eius.

**L**abóres mánuum tuárum quia  
man-

manducâbis : \* beâtus es, & benè tibi erit.

**V**xor tua sicut vitis abúndans,\* in latéribus domus tuæ.

**F**ílij tui sicut nouéllæ oliuârum,\* in circúitu mensæ tuæ.

**E**cce sic benedicêtur homo,\* qui timet Dóminum.

**B**enedicat tibi Dóminus ex Sion,\* & vídeas bona Ierúsalem ómnibus diêbus vitæ tuæ.

**E**t vídeas filios filiôrum tuôrum,\* pacem super Israël.

**O R A T I O.**

**T**Iméntibus nomen tuum,Dómine, beatitúdinem largíre perpétuam, vt nos & filij nostri videâmus bona cæléstis Ierúsalem, non quæ tránseunt, sed ætérna sunt, & pacem super omnem pópulum Christiânum. Per Dóminum.

**PSAL-**



## PSALMVS CXXVIII.

*Quo petitur, ut nostri & Ecclesiæ  
hostes illi numquam præualeant,  
sed pessumdentur.*

**S**æpè expugnauerunt me à iu-  
uentute mea, \* dicat nūc Israël.

**S**æpè expugnauerunt me à iu-  
uentute mea: \* etenim non potue-  
runt mihi.

**S**upra dorsum meum fabricaué-  
runt peccatores: \* prolongauerunt  
iniquitatem suam.

**D**ominus iustus concidit ceru-  
ices peccatorum: \* confundantur,  
& conuertantur retrorsum omnes  
qui odérunt Sion.

**F**iant sicut fœnum tectorum: \*  
quod priusquam euellatur, exaruit.

**D**e quo non implèuit manum  
suam qui metit, \* & sinum suum  
qui manípulos colligit.

**E t.**

**E**t non dixerunt qui præter-  
ibant: Benedictio Dómini super  
vos: \* benediximus vobis in nó-  
mine Dómini.

## ORATIO.

**P**ræsta nobis Dómine pati-  
tiam in aduérfis, & ab óm-  
nium impugnatiõnum nequitiis  
nos tua protectiõne defēde, vt pe-  
rícula mundi transire valeámus il-  
læsi, vt benè viuētes æquanímiter  
tolerēmus ímpios, & ab ómnibus  
sanctis tuis benedíci valeámus in  
nómine tuo, quod I E S V S est, sal-  
uátor noster. Amen.

## PSALMVS CXXIX.

*Quo humiliter petitur pecca-  
torum venia.*

**D**E prófundis clamáui ad te  
Dómine: \* Dómine exáudi  
vocem meam.

**F**iant



**F**iant aures tuæ intendentes, \* in  
vocem deprecationis meæ.

**S**i iniquitates obseruaueris Dó-  
miné: \* Dómine quis sustinêbit?

**Q**uia apud te propitiatio est: \*  
& propter legem tuam sustinui te  
Dómine.

**S**ustinuit ánima mea in verbo  
eius: \* sperauit ánima mea in Dó-  
mino.

**A**custódia matutína vsque ad  
noctem: \* speret Israël in Dómino.

**Q**uia apud Dóminum miseri-  
córdia: \* & copiôsa apud eum re-  
demptio.

**E**t ipse redimet Israël, \* ex óm-  
nibus iniquitatibus eius.

## O R A T I O.

**D**E profúndis cordis clamâmus  
ad te Dómine, vt de profún-  
dis peccatôrum líberes nos, quia  
D d apud

apud te solum verum DEVM est  
propitiatio & reconciliatio nostra.  
Ne obserues iniquitates nostras,  
qui speramus in misericordia tua,  
qui redempti sumus pretioso Sanguine tuo. Amen.

## PSALMVS CXXX.

*Quo petitur odium arrogantiae, &  
amor modestiae & humilitatis.*

**D**omine, non est exaltatum  
cor meum: \* neque elati  
sunt oculi mei.

**N**eque ambulavi in magnis: \*  
neque in mirabilibus super me.

**S**i non humiliter sentiebam: \*  
sed exaltaui animam meam:

**S**icut ab lactatus est super matre  
sua, \* ita retributio in anima mea.

**S**peret Israël in Domino, \* ex  
hoc nunc & usque in saeculum.

ORA-



**O**Mnípotens DEVS, ne permittas nos exaltári in superbíis nostris, neque confidere in nostris víribus, & altiôra nobis indagâre: sed humiliári sub poténti manu tua, & sperâre in te Dómino DEO nostro, vt ad æternitâtem tuam in cæléstibus peruenîre valeâmus. Per CHRISTVM Dóminum nostrum. Amen.

## PSALMVS CXXXI.

*Quo oratur vt DEVS Pater cum  
Arca, id est Eucharistia, Ecclesiam  
inhabitaret, & Clerum ac populum  
sanctificet.*

**M**emento Dñe Dauid, \* &  
omnis mansuetúdinis eius.

Sicut iurâuit Dómino, \* votum  
vovit DEO Iacob:

Si introíero in tabernáculum

D d 2          domus

domus meæ, \* si ascéndero in lectum strati mei:

**S**i dēdero somnum óculis meis, & pálpebris meis dormitatiōnem,

**E**t réquiem temporibus meis: donec inuéniam locum Dómino, \* tabernáculum DEO Iacob.

**E**cce audíuimus eam in Ephraïta: \* inuénimus eam in campis filuæ.

**I**ntroíbimus in tabernáculum eius: \* adorábimus in loco, vbi steterunt pedes eius.

**S**urge Dómine in réquiem tuã, \* tu & arca sanctificatiōis tuæ.

**S**acerdótes tui induántur iustítiam: \* & sancti tui exúltent.

**P**ropter Dauid seruum tuum, \* non auértas fáciem Christi tui.

**I**uráuit Dóminus Dauid veritátem, & non frustrábitur eam: \*

De



De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

**S**i custódierint filij tui testamentum meum, \* & testimónia mea hæc, quæ docêbo eos:

**E**t filij eorum usque in sæculum, \* sedébunt super sedem tuam.

**Q**uóniam elêgit Dóminus Siõ, \* elêgit eam in habitatiònem sibi.

**H**æc réquies mea in sæculum sæculi : \* hîc habitâbo , quóniam elégi eam.

**V**íduam eius benedícens benedîcam : \* páuperes eius saturâbo pánibus.

**S**acerdótes eius induam salutári : \* & sancti eius exultatiône exultábunt.

**I**lluc prodûcam cornu Dauid, \* paráui lucérnam Christo meo.

**I**nimícos eius induam confu-

D d 3      sione: \*

siōne: \* super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

## ORATIO.

**M**emor esto nostri, omnipotēs DEVS, & indue nos iustitia, atque salutari grātia tua. Effloreat quoq; super nos sanctificatio diuinitātis tuę, vt custodiāmus testimonia tua Euangēlica: saturādo pane cēlesti verbi DEI nos hūmiles, nihil de nobis præsumentes, & tu in nobis atque nos in te habitādo, benedīcas benedictiōne grātię tuę in præsenti, & glōrię in futuro. Amen.

## PSALMVS CXXXII.

*Quo oratur pro pace & concordia in familia, vrbe, regno, & Ecclesia conseruanda.*

**E**cce quā bonum, & quā iucūndum, \* habitāre fratres in vnum:

**S**icut



Sicut unguentum in capite, \*  
quod descendit in barbam, bar-  
bam Aaron.

Quod descendit in oram vesti-  
menti eius : \* sicut ros Hermon,  
qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandauit Dó-  
minus benedictionem, \* & vitam  
usque in sæculum.

## ORATIO.

**I**Nfunde Dómine in Ecclesiam  
tuam charitatem fraternitatis  
ac pacis, ut rore spiritalis un-  
guenti aspersi, benedictionis tuæ  
gratia iucundemur in corde vno  
& ánima vna. Per CHRISTVM  
Dóminum nostrum.

## PSALMVS CXXXIII.

*Quo postulatur, ut sacerdotes, & plebs Christiana DEVM in tot iam templis præsentem studiosè colant.*

**E**Cce nunc benedicite Dóminum, \* omnes serui Dómini:

**Q**ui statis in domo Dómini, \* in átriis domus DEI nostri,

**I**n nóctibus extóllite manus vestras in sancta, \* & benedicite Dóminum.

**B**enedicat te Dóminus ex Sion, \* qui fecit cælum & terram.

## ORATIO.

**B**enedicéntes te omnes serui tui Dómine deprecâmur, vt nos huius mundi nocte obscurátos illuminâre dignêris; quâtenus, dum manus nostras in bonis opéribus eleuâmus, benedictiônem à  
te



te æternam consequamur. Per  
CHRISTVM Dóminum nostrum.  
Amen.

## PSALMVS CXXXIV.

*Quo inuitantur DEI cultores ad lau-  
dem DEI creatoris & saluatoris.*

**L**audáte nomen Dómini, \*  
laudáte serui Dóminum.

**Q**ui statis in domo Dómini, \*  
in átriis domus DEI nostri.

**L**audáte Dóminum, quia bonus  
Dóminus: \* psállite nómini eius,  
quóniam suáue.

**Q**uóniam Iacob elêgit sibi Dó-  
minus, \* Israël in possessionem sibi.

**Q**uia ego cognóui quòd ma-  
gnus est Dóminus, \* & DEVS no-  
ster præ ómnibus diis.

**O**mnia quæcúmque vóluit,  
Dóminus fecit in cælo, & in terra, \*  
in mari, & in ómnibus abyssis.

D d s

E dú-

**E**dúcens nubes ab extrémō terræ: \* fúlgura in plúuiam fecit.

**Q**ui prodúcit ventos de thesáuris suis: \* qui percússit primogénita Ægypti ab hómine vsque ad pecus.

**E**t misit signa & prodígia in médio tui Ægypte: \* in Pharaônem, & in omnes seruos eius.

**Q**ui percússit Gentes multas: \* & occídít reges fortes:

**S**ehon regem Amorrhæórum, & Og regem Basan, \* & ómnia regna Chánaan.

**E**t dedit terram eórum hereditátem, \* hereditátem Israél pópu-  
lo suo.

**D**ómine nomen tuum in ætérnum: \* Dómine memoriále tuum in generatióne & generatióne.

**Q**uia iudicábit Dóminus pó-  
pulum



pulum suum: \* & in seruis suis deprecabitur.

**S**imulacra Géntium argéntum & aurum, \* ópera mánuum hóminum.

**O**s habent, & non loquéntur: \* óculos habent, & non vidébunt.

**A**ures habent, & non áudient: \* neque enim est spíritus in ore ipsórum.

**S**ímiles illis fiant qui fáciunt ea: \* & omnes qui confidunt in eis.

**D**omus Israél benedícite Dómino: \* domus Aaron benedícite Dómino.

**D**omus Leui benedícite Dómino: \* qui timétis Dóminum benedícite Dómino.

**B**enedíctus Dóminus ex Sion, \* qui hábitat in Ierúsalem.

**ORA-**

**L**audâmus nomen tuum Dô-  
mine, omnes serui tui, pro be-  
neficio creatiônis & redemptiô-  
nis, quóniam bonus es & suâuis:  
deprecâbilis esto super cliéntulos  
tuos de família tua elécta; & pla-  
câbilis, exaudiendo preces nostras:  
vt hîc te benedicétes, cum Ange-  
lis in ætérnum te laudâre mereâ-  
mur. Per CHRISTVM Dóminum  
nostrum. Amen.

## PSALMVS CXXXV.

*Quo psallens celebrat misericordiam  
DEI creatoris, & sibi datas vi-  
ctorias contra Pharaonem, Sehon,  
& Og, id est contra demones, car-  
nem, & mundum.*

**C**onfitémini Dómino, quó-  
niam bonus: \* quóniam in  
ætérnum misericórdia eius.

Con-



**C**onfitémini DEO deorum: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

**C**onfitémini Dómino domi-  
norum: \* quóniam in ætérnum mi-  
sericórdia eius.

**Q**ui facit mirabília magna so-  
lus: \* quóniam in ætérnum miseri-  
córdia eius.

**Q**ui fecit cælos in intellectu: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

**Q**ui firmâvit terrâ super aquas: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

**Q**ui fecit luminária magna: \*  
quóniam in ætérnum misericór-  
dia eius.

**S**olem in potestâtem diéi: \* quó-  
niam in ætérnum misericórdia  
eius.

**L**unam

**L**unam & stellas in potestâtem noctis: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**Q**ui percússit Ægyptum cum primogénitis eórum: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**Q**ui edúxit Israël de médio eórum: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**I**n manu poténti, & bráchio excélso: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**Q**ui diuîsit Mare rubrum in diuisiones: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**E**t edúxit Israël per médium eius: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**E**t excússit Pharaônem, & virtutem eius in Mari rubro: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**Q**ui



**Q**ui traduxit populum suum  
per desertum: \* quoniam in æter-  
num misericordia eius.

**Q**ui percussit reges magnos: \*  
quoniam in æternum misericor-  
dia eius.

**E**t occidit reges fortes: \* quon-  
iam in æternum misericordia  
eius.

**S**ehon regem Amorrhæorum: \*  
quoniam in æternum misericor-  
dia eius.

**E**t Og regem Basan: \* quoniam  
in æternum misericordia eius.

**E**t dedit terram eorum heredi-  
tatem: \* quoniam in æternum mi-  
sericordia eius.

**H**ereditatem Israël seruo suo: \*  
quoniam in æternum misericor-  
dia eius.

**Q**uia in humilitate nostra me-  
mor

mor fuit nostri: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**E**t redêmit nos ab inimícis nostris: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**Q**ui dat escam omni carni: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

**C**onfitémini D E O cæli: \* quóniam in ætérnũ misericórdia eius.

**C**onfitémini Dómino dominórum: \* quóniam in ætérnum misericórdia eius.

### ORATIO.

**M**emor esto humilitátis nostræ, & miserere nobis omnípotens D E V S: qui quondam pátribus nostris terram aduersariórum in hereditátem donásti, quæsumus vt nos à peccáti mácula liberátos in tuam cæléstem hereditátem



tatem restituas. Per CHRISTVM  
Dóminum nostrum. Amen.

## PSALMVS CXXXVI.

*Quo psallens ex hoc exilio suspirat  
ad cælum.*

**S**Vper flúmina Babylônis, illic  
sédimus & fleuimus: \* cùm re-  
cordarémur Sion:

**I**n salícibus in médio eius, \* sus-  
péndimus órgana nostra.

**Q**uia illic interrogauerunt nos,  
qui captiuos duxerunt nos, \* verba  
cantiónum:

**E**t qui abduxerunt nos: \* Hym-  
num cantâte nobis de cãticis Sion.

**Q**uómodo cantábiinus cãti-  
cum Dómini \* in terra aliéna?

**S**i oblítus fúero tui Ierúsalem, \*  
obliuióni detur dextera mea.

**A**dhæreat lingua mea fáucibus  
meis, \* si non memínero tui.

E c

Si

**S**i non proposuero Ierúsalem,\*  
in principio lætitiæ meæ.

**M**emor esto Dómine filiõrum  
Edom,\* in die Ierúsalem:

**Q**ui dicunt: Exinaníte, exina-  
níte \* vsque ad fundaméntum  
in ea.

**F**ília Babylõnis mísera:\* beátus,  
quí retribuet tibi retributiõnem  
tuam, quam retribuísti nobis.

**B**eátus, qui tenêbit,\* & allidet  
paruulos tuos ad petram.

### ORATIO.

**R**escat & roborêtur desidé-  
rium Ierúsalem cæléstis in  
córdibus nostris, vt non semper  
agitêmur super flúmina Babylõ-  
nis, huius confusíbilis mundi, sed  
tránseat captiuitas nostra, vt vé-  
niat felícitas ætérna, vbi non ces-  
sêmus cantâre cántica Sion, cum

CHRI-



CHRISTO Dómino nostro in ætérnum. Amen.

## PSALMVS CXXXVII.

*Quo aguntur gratia DEO, pro ope, gratia, & beneficiis acceptis.*

**C**onfitêbor tibi Dómine in toto corde meo: \* quóniam audísti verba oris mei.

**I**n conspéctu Angelôrum psallam tibi: \* adorâbo ad templum sanctum tuum, & confitêbor nómini tuo.

**S**uper misericórdia tua, & veritate tua: \* quóniam magnificásti super omne, nomen sanctum tuum.

**I**n quacúmque die inuocávero te, exáudi me: \* multiplicâbis in ánima mea virtûtem.

**C**onfiteántur tibi Dómine omnes reges terræ: \* quia audiérunt ómnia verba oris tui:

Ec 2

Et

**E**t cantent in viis Dómini: \* quóniam magna est glória Dómini.

**Q**uóniam excelsus Dóminus, & humília réspicit: \* & alta à longè cognóscit.

**S**i ambulávero in médio tribulatiónis, viuificábis me: \* & super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.

**D**óminus retríbuet pro me: \* Dñe misericórdia tua in sæculum: ópera mánuum tuárum ne despicias.

**ORATIO.**

**M**últiplica Dómine misericórdiam tuam super nos, dum te in templo sancto tuo iúgi-ter adorâmus, & confitêmur tibi pro collátis beneficiis in toto corde nostro grátias agéndo, viuifica nos liberán-  
do de médio tribulatiónis



tiōnis & angustiarum, & saluet nos  
grátia tua diuina, ne despicias ópe-  
ra mánuum tuárum.

## PSALMVS CXXXVIII.

*Quo psallens petit in mente habe-  
re DEI præsentiam, Deumque  
præsentem ubique intueri &  
reuereri.*

**D**omine probásti me, & cog-  
nouísti me: \* tu cognouísti  
fessiónem meam, & resurrectiō-  
nem meam.

**I**ntellexísti cogitatiōes meas  
de longè: \* sēmitam meam, & fu-  
nículum meum inuestigásti.

**E**t omnes vias meas præuidísti: \*  
quia non est sermo in lingua mea.

**E**cce Dómine tu cognouísti  
omnia, nouíssima, & antíqua: \* tu  
formásti me, & posuísti super me  
manum tuam.

Ec 3.

**M**irá-

**M**irabilis facta est sciéntia tua  
ex me: \* confortâta est, & non pô-  
tero ad eam.

**Q**uò ibo à spírítu tuo? \* & quò  
à fácie tua fúgiam?

**S**i ascéndero in cælú, tu illic es: \*  
si descéndero in inférnum, ades.

**S**i sumpsero pennas meas dilú-  
culo, \* & habitávero in extrémis  
maris:

**E**t enim illuc manus tua dedûcet  
me: \* & tenêbit me dèxtera tua.

**E**t dixi: Fórfitan ténebræ con-  
culcábunt me: \* & nox illuminá-  
tio mea in delíciis meis.

**Q**uia ténebræ non obscurabún-  
tur à te, & nox sicut dies illuminá-  
bitur: \* sicut ténebræ eius, ita &  
lumen eius.

**Q**uia tu possedísti renes meos: \*  
suscepísti me de útero matris meæ.

**C**onfi-



**C**onfitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: \* mirabilia opera tua, & anima mea cognoscit nimis.

**N**on est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto: \* & substantia mea in inferioribus terræ.

**I**mperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: \* dies formabuntur, & nemo in eis.

**M**ihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEVS: \* nimis confortatus est principatus eorum.

**D**inumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: \* exurrexi, & adhuc sum tecum.

**S**i occideris DEVS peccatores: \* viri sanguinum declinate à me:

**Q**uia dicitis in cogitatione: \* Accipient in vanitate ciuitates tuas.

E c 4

**N**on-

**N**ónne qui óderunt te Dómine, óderam: \* & super inimícos tuos tabescêbam?

**P**erfecto ódio óderam illos: \* & inimíci facti sunt mihi.

**P**roba me DEVS, & scito cor meum: \* intérroga me, & cognósce sémitas meas.

**E**t vide, si via iniquitátis in me est: \* & deduc me in via ætérna.

ORATIO.

**D**EVs meus, qui créásti me scúndum ánimã & corpus, & cognouísti me, atque actus, stúdia atque cogitationés meas inuestigásti, ádeo vt à præsentia maiestátis tuæ nusquam effúgere possim; te precor, vt directus in via ætérna, illo deféndar bráchio, quo honorábiles amíci tui gloriántur in cælo. Per CHRISTVM Dñm nostrum.

PSAL-



## PSALMVS CXXXIX.

*Quo psallens orat contra iniquos, qui ipsum calumniantur & persequuntur.*

**E**Ripe me Dñe ab hómine malo: \* à viro iníquo éripe me.

**Q**ui cogitauérunt iniquitátes in corde: \* tota die constituébant prælia.

**A**cuérunt linguas suas sicut serpéntis: \* venenum áspidum sub lábiis eórum.

**C**ustódi me Dómine de manu peccatôris: \* & ab homínibus iníquis éripe me.

**Q**ui cogitauérunt supplantâre gressus meos: \* abscondérunt superbi láqueum mihi:

**E**t funes extendérunt in láqueum: \* iuxta iter scándalum posuérunt mihi.

E c 5

Dixi

**D**ixi Dómino : D E V S meus es tu : \* exáudi Dómine vocem deprecationis meæ.

**D**ómine , Dómine virtus salutis meæ : \* obumbrásti super caput meum in die belli :

**N**e tradas me Dómine à desiderio meo peccatóri : \* cogitauerunt contra me , ne derelinquas me , ne fortè exalténtur.

**C**aput circúitus eórum : \* labor labiórum ipsórum opériet eos.

**C**adent super eos carbónes , in ignem deícies eos : \* in misériis non subsístent.

**V**ir linguósus non dirigétur in terra : \* virum iniústum mala cápiunt in intéritu.

**C**ognóui quia fáciat Dóminus iudícium ínopis : \* & vindíctam páuperum.

**V**erúm-



**V**erũtamen iusti confitebũntur nŏmini tuo: \* & habitabunt recti cum vultu tuo.

## ORATIO.

**V**irtus salũtis nostræ DEVS, ne derelinqvas nos in desidériis nostris, neque permittas in concupiscētiis nostris, vt consentiãmus sãtanæ suggestóri: sed custodi, libera, & eripe de manu diaboli ánimas nostras; vt tandem confitētes nŏmini tuo, p̃rfrui mereãmur visione diuina in cælis. Amen.

## PSALMVS CXL.

*Quo postulatur in persecutione patientia, in correptione humilitas, in periculis liberatio.*

**D**omine clamãui ad te, exaudi me: \* intēde voci meæ, cũ clamãuero ad te.

**D**irigãtur oratio mea sicut incensum

cénsum in conspéctu tuo: \* eleuá-  
tio mánuum meârum sacrificium  
vespertînum.

**P**one: Dómine custódiam ori  
meo: \* & óstium circumstántiæ  
lábiis meis.

**N**on declínes cor meum in ver-  
ba malítiæ, \* ad excusándas excu-  
satiónes in peccátis.

**C**um homínibus operántibus  
iniquitâtem: \* & non communicá-  
bo cum eléctis eôrum.

**C**orrípiet me iustus in miseri-  
córdia, & increpâbit me: \* óleum  
autem peccatôris non impínguet  
caput meum.

**Q**uóniam adhuc & orátio mea  
in beneplácitis eôrum: \* absorpti  
sunt iuncti petræ iúdice eôrum.

**A**udient verba mea quóniam  
potuérunt: \* sicut crassitúdo ter-  
ræ



ræ erúpta est super terram.

**D**issipâta sunt ossa nostra secus inférnum: \* quia ad te Dómine Dómine óculi mei: in te speráui, non áuferas ánimam meam.

**C**ustódi me à láqueo, quem statuérunt mihi: \* & à scándalis operántium iniquitâtem.

**C**adent in retiáculo eius peccatóres: \* singuláriter sum ego donec tránseam.

## O R A T I O.

**P**One Dómine custódiam ori nostro, ne effluâmus in verba nóxia & scandalôsa; ne quoque pròrumpâmus in verba malítiæ ad excusândas excusatiónes in peccátis; sed custódi nos à láqueis sátnæ, ne de vítio in vítium ruéntes, cadâmus in rétia eius. Per CHRI-STVM Dóminum nostrum.

PSAL-

*Quo psallens extremè afflictus, aut moribundus, ab omnibus derelictus, animam suam DEO commendat.*

**V**Oce mea ad Dóminum clamaui: \* voce mea ad Dóminum deprecátus sum:

**E**ffúndo in conspéctu eius orationem meam, \* & tribulationem meam ante ipsum pronúntio.

**I**n deficiendo ex me spíritum meum, \* & tu cognouísti sémitas meas.

**I**n via hac qua ambulâbam, \* & abscondérunt láqueum mihi.

**C**onsiderâbam ad dexteram, & vidêbam: \* & non erat qui cognósceret me.

**P**ériit fuga à me, \* & non est qui requírat ánimam meam.

**Cl**a-



**C**lamáui ad te Dómine, \* dixi:  
Tu es spes mea, pórtio mea in ter-  
ra viuéntium.

**I**nténde ad deprecatiōnem meā: \*  
quia humiliátus sum nimis.

**L**íbera me à persecuéntibus  
me: \* quia cōfortáti sunt super me.

**E**duc de custódia ánimā meam  
ad confiténdum nómini tuo: \* me  
expéctant iusti, donec retríbuas  
mihi.

## O R A T I O.

**D**eprecántes Dómine voce hú-  
mili, maieftátem tuam expó-  
scimus, & oratiōnes nostras in tri-  
bulatiōne pronuntiámus, qui cog-  
nouísti fémitas nostras, vt líberes  
nos à persecuéntibus inimícis no-  
stris; atque adiúti à te única spe  
nostra, portiōnem cum electis tuis  
in terra viuéntium fortiámur.

PSAL-

*Quo psallens petit sibi peccata remitti, se doceri & dirigi in recta salutis via, & à demonibus protegi.*

**D**omine exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in veritate tua: exaudi me in tua iustitia.

**E**t non intres in iudicium cum seruo tuo: \* quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.

**Q**uia persecutus est inimicus animam meam: \* humiliauit in terra vitam meam.

**C**ollocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi: \* & anxius est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

**M**emor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operi-



opéribus tuis: \* in factis mánuum  
tuârum meditâbar.

**E**xpândi manus meas ad te: \* âni-  
ma mea sicut terra sine aqua tibi:

**V**elóciter exâudi me Dómine: \*  
defécit spíritus meus.

**N**on auértas fáciem tuam à  
me: \* & símilis ero descendéntibus  
in lacum.

**A**udítam fac mihi manè mi-  
sericórdiam tuam: \* quia in te  
spéraui.

**N**otam fac mihi viam, in qua  
ámblem: \* quia ad te leuáui âni-  
mam meam.

**E**ripe me de inimícis meis Dó-  
mine, ad te confúgi: \* doce me fá-  
cere voluntâtem tuam, quia DEVS  
meus es tu.

**S**píritus tuus bonus dedûcet me  
in terram rectam: \* propter nomen  
F f tuum

tuum Dómine viuificâbis me, in æquitâte tua.

**E**dúces de tribulatiône ánimam meam: \* & in misericórdia tua pérdes inimícos meos.

**E**t perdes omnes qui tríbulant ánimam meam: \* quóniam ego seruus tuus sum.

ORATIO.

**N**on auértas Dómine, tamquam offénsus, fáciem tuam misericórdiæ à nobis pœniténtibus differéndo donum grátia: sed sine mora largíri dignêris misericórdiam tuam, quia in te solo speráuimus, & ad fontem grátia leuáuimus ánimas nostras. Agnoscamus ergo per te viam salútis, in qua ambulémus itínere recto ad pátriam cæléstem, propter nomen tuum quod I E S V S est. Amen.

PSAL-



## PSALMVS CXLIII.

*Quo psallens petit non terrena & ca-  
duca impiorum bona, sed vt Domi-  
nus sit illi DEVS & omnia.*

**B**enedíctus Dóminus DEVS  
meus, qui docet manus meas  
ad prælium, \* & dígitos meos ad  
bellum.

Misericórdia mea, & refúgium  
meum: \* fuscéptor meus, & liberâ-  
tor meus:

Protéctor meus, & in ipso spe-  
ráui: \* qui subdit pópulum meum  
sub me.

Dómine quid est homo, quia  
innotuísti ei? \* aut fílius hóminis,  
quia réputas eum?

Homo vanitáti símilis factus  
est: \* dies eius sicut vmbra præter-  
eunt.

Dómine inclína cælos tuos, &  
F f 2 descén-

descende: \* tange montes, & fumigabunt.

**F**ulgura coruscationem, & dissipabis eos: \* emitte sagittas tuas, & conturbabis eos:

**E**mitte manū tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis: \* de manu filiōrum alienōrum.

**Q**uorum os locūtum est vanitatem: \* & dextera eōrum, dextera iniquitatis.

**D**EVs canticum novum cantabo tibi: \* in psalterio, decachōdo. psallam tibi.

**Q**ui das salūtem régibus: \* qui redemisti Dāuid seruum tuum de gladio maligno: eripe me.

**E**t érue me de manu filiōrum alienōrum, quorum os locūtum est vanitatem: \* & dextera eōrum, dextera iniquitatis:

**Q**uorum



**Q**uorum filij, sicut nouellæ  
plantatiões \* in iuuentute sua.

**F**iliæ eorum compositæ : \* cir-  
cumornatæ vt similitudo templi.

**P**romptuariâ eorum plena, \* eru-  
ctantia ex hoc in illud.

**O**ues eorum fœtosæ, abundan-  
tes in egressibus suis : \* boues eor-  
um crassæ.

**N**on est ruina maceriæ neque  
transitus, \* neque clamor in pla-  
tibus eorum.

**B**eatum dixerunt populum, cui  
hæc sunt : \* beatus populus, cuius  
Dóminus DEVS eius.

## ORATIO.

**M**isericórdia nostra ac refú-  
gium nostrum, susceptor, li-  
berátor ac protector noster in óm-  
nibus periculis, tentationibus &  
anxietatibus nostris, qui inclinásti

F f 3      cælos

cælos tuos, & descendisti pro salutē  
nostra, humanitatis formam susci-  
piens; doce nos spirituālibus armis,  
peccātis resistere, ne vanitati mun-  
danæ subiecti, à dominatione cæ-  
lesti pellāmur. Amen.

## PSALMVS CXLIV.

*Quo celebratur DEI maiestas, poten-  
tia, gloria, & misericordia erga  
timentes & inuocantes se.*

**E**Xaltābo te DEVS meus  
rex: \* & benedīcam nōmi-  
ni tuo in sæculum, & in sæculum  
sæculi.

**P**er singulos dies benedīcam ti-  
bi: \* & laudābo nomen tuum in  
sæculum, & in sæculum sæculi.

**M**agnus Dóminus & laudābi-  
lis nimis: \* & magnitudinis eius  
non est finis.

**G**eneratio & generatio laudābit  
ópera



ópera tua: \* & poténtiam tuam pronuntiábunt.

**M**agnificéntiam glóriæ sanctitátis tuæ loquéntur: \* & mirabília tua narrábunt.

**E**t virtutem terribílium tuorum dicent: \* & magnitúdinem tuam narrábunt.

**M**emóriam abundántiæ suauitátis tuæ eructábunt: \* & iustítia tua exultábunt.

**M**iserátor & misericors Dóminus: \* pátiens, & multum misericors.

**S**uauis Dóminus vniuersis: \* & miseratiónes eius super ómnia ópera eius.

**C**onfiteántur tibi Dómine ómnia ópera tua: \* & sancti tui benedicant tibi.

**G**loriam regni tui dicent: \* & poténtiam tuam loquéntur:

F f 4

Vit

**V**t notam fácient fíliis hóminum poténtiam tuam: \* & glóriam magnificéntiæ regni tui.

**R**egnum tuum, regnum ómnium sæculórum: \* & dominátio tua in omni generatióne, & generatióem.

**F**idélis Dóminus in ómnibus verbis suis: \* & sanctus in ómnibus opéribus suis.

**A**lleuat Dóminus omnes qui córruunt: \* & érigit omnes elísos.

**O**culi ómnium in te sperant Dómine: \* & tu das escam illórum in témpore oportúno.

**A**peris tu manum tuam: \* & imples omne ánimál benedictióne.

**I**ustus Dóminus in ómnibus viis suis: \* & sanctus in ómnibus opéribus suis.

**P**ropè est Dóminus ómnibus inuo-



inuocántibus eum: \* ómnibus inuocántibus eum in veritâte.

**V**oluntâtem timéntium se fáciat, \* & deprecationem eórum exáudiet: & saluos fáciat eos.

**C**ustôdit Dóminus omnes diligéntes se: & omnes peccatóres dispêdet.

**L**audatiônem Dómini loquêtur os meum: \* & benedîcat omnis caro nómini sancto eius in sæculum, & in sæculum sæculi.

## ORATIO.

**E**xaltâmus Dómine, celebrâmus, atque benedícimus potentiam, magnificéntiam, sanctitâtem, virtútes terribílium, abundantiam bonitâtis & iustitiæ tuæ qui suâuis es, miserâtor & misericors, cuius miseratiónes super ómnia ópera tua. Alléua nos corruén-

F f 5

tes

tes in peccatis, atque imple benedictione supérna, vt tandem glória magnificéntiæ regni tui cæléstis pérfrui mereâmur. Amen.

## PSALMVS CXLV.

*Quo anima spem suam collocet non in homine fallaci, sed in DEO, qui solus est potentissimus, fidelissimus, & benignissimus.*

**L**Auda ánima mea Dóminum, laudâbo Dóminum in vita mea: \* psallam DEO meo quâmdiu fúero.

**N**olíte confidere in princípibus: \* in filiis hóminum, in quibus non est salus.

**E**xíbit spíritus eius, & reuertêtur in terram suam: \* in illa die peribunt omnes cogitationes eórum.

**B**eátus, cuius DEVS Iacob adiutor eius, spes eius in Dómino  
DEO



DEO ipsius: \* qui fecit cælum  
& terram, mare, & ómnia quæ in  
eis sunt.

Qui custôdit veritatem in sæcu-  
lum, facit iudícium iniúriam pa-  
tientiibus: \* dat escam esuriéntibus.

D.óminus soluit compeditos: \*  
Dóminus illúminat cæcos.

D.óminus érigit elífos, \* Dómi-  
nus díligit iustos.

D.óminus custôdit áduenas, pu-  
pillum & víduam suscípiet: \* &  
vias peccatôrum dispêdet.

R.egnâbit Dóminus in sæcula,  
DEVS tuus Sion \* in generatiônem  
& generatiônem.

## ORATIO.

O Mnípotens DEVS, adiûtor,  
protéctor, & única spes no-  
stra, qui fecísti cælum & terram,  
mare & ómnia quæ in eis sunt,  
solue

solue nos compeditos peccatorum  
vinculis, & dirige in viam iusti-  
tiæ, prostratos in peccatis, atque  
illuminare digneris per tuam grá-  
tiam cæcos, qui peccatorum té-  
nebris inuoluimur: vt sic illumi-  
nati, valeamus te pura mente dili-  
gere. Amen.

## PSALMVS CXLVI.

*Quo celebratur DEI sapientia, poten-  
tia, prouidentia, beneficentia in  
omnes, maximè timentes se.*

**L**Audate Dóminum quóniam  
bonus est psalmus: \* DE O  
nostro sit iucúnda decorâque lau-  
dátio.

**Æ**dificans Ierúsalem Dómi-  
nus: \* dispersiónes Israëlis con-  
gregábit.

**Q**ui sanat contritos corde: \* &  
álligat contritiónes eórum.

**Q**ui



**Q**ui númerat multitudinem  
stellârum: \* & ómnibus eis nómi-  
na vocat.

**M**agnus Dóminus noster, &  
magna virtus eius: \* & sapiéntiæ  
eius non est númerus.

**S**uscípiens mansuétos Dómi-  
nus: \* humílians autem peccatóres  
vsque ad terram.

**P**ræcínite Dómino in confes-  
sióne: \* psállite DEO nostro in cí-  
thara.

**Q**ui óperit cælum núbibus: \* &  
parat terræ plúuiam.

**Q**ui prodúcit in móntibus fœ-  
num: \* & herbam seruitúti hómi-  
num.

**Q**ui dat iuméntis escam ipsô-  
rum: \* & pullis coruôrum inuo-  
cántibus eum.

**N**on in fortitúdine equi volun-  
tâtem

tâtem habêbit : \* nec in tîbiis viri  
beneplácitum erit ei.

Beneplácitum est Dómino su-  
per timéntes eum : \* & in eis qui  
sperant super misericórdia eius.

## ORATIO.

**A**Dificâtor cæléstis Ierúsa-  
lem , D E V S magnus , Dó-  
minus noster , cuius sapiéntia in-  
finîta est , & incomprehensíbilis,  
sana contrítos corde, atque refór-  
ma plagas vúlnerum ánimæ no-  
stræ , quas sauciâuit maligni spí-  
ritus rábies , & súscepe mansuétos,  
atque humíliter de se sentiéntes:  
non in víribus nostris , neque in  
iustítia nostra , sed in sola mise-  
ricórdia & grátia tua confídimus.  
Amén.

PSAL-



## PSALMVS CXLVII.

*Quo celebratur felicitas fidelium in Ecclesia, quos DEVS roborat, & satiat adipe Eucharistiae, & eloquio Euangelij sui instar niuis dealbat, nebulas demonum dispergens, & gelu ac torporem mentium liquefaciens ac accendens.*

**L**auda Ierúsalem Dóminum: \*  
lauda D E V M tuum Sion.

**Q**uóniam confortauit feras portarum tuarum: \* benedixit filiis tuis in te.

**Q**ui posuit fines tuos pacem: \*  
& adipe frumenti satiati te.

**Q**ui emittit eloquium suum terrae: \* velociter currit sermo eius.

**Q**ui dat niuem sicut lanam, \*  
nébulam sicut cinerem spargit,

**M**ittit crystallum suum sicut  
buccel-

buccéllas: \* ante fáciem frígoris  
eius quis sustinêbit?

**E** mîttet verbum suum, & li-  
quefáciat ea: \* flabit spíritus eius, &  
fluent aquæ.

**Q**ui annúntiat verbum suum  
Iacob: \* iústítias & iudícia sua  
Israël.

**N**on fecit táliter omni natió-  
ni: \* & iudícia sua non manife-  
stáuit eis.

## O R A T I O.

**E** Mítte Dómine verbum tuum  
Euangélicum, vt liquefácias &  
emóllias obdurâta corda nostra  
frígore vitiôrum, vt nostra peccâta  
purgéntur, & efficiántur quasi nix,  
vt nébula ignorántiæ expellátur è  
córdibus nostris, & Spíritus sancti  
grátia éffluant aquæ lacrymârum  
in poeniténtia salutári. Amen.

PSAL-



## PSALMVS CXLVIII.

*Quo inuitantur omnes creaturæ  
ad DEI laudem.*

**L**audâte Dóminum de cælis: \*  
laudâte eum in excélsis.

**L**audâte eum omnes Angeli  
eius: \* laudâte eum omnes virtú-  
tes eius.

**L**audâte eum sol & luna: \* lau-  
dâte eum omnes stellæ & lumen.

**L**audâte eum cæli cælôrum: \* &  
aquæ omnes quæ super cælos sunt,  
laudent nomen Dómini.

**Q**uia ipse dixit, & facta sunt: \*  
ipse mandâuit, & creâta sunt.

**S**tátuit ea in ætérnum, & in sæ-  
culum sæculi: \* præcéptum pósuit,  
& non præterîbit.

**L**audâte Dóminum de terra: \*  
dracónes, & omnes abyssi.

**I**gnis, grando, nix, glácies, spíri-

G g

tus

tus procellarum: \* quæ faciunt  
verbum eius:

**M**ontes, & omnes colles: \* ligna  
fructifera, & omnes cedri.

**B**estiae, & vniuersa pecora: \* ser-  
pentes, & volucres pennatae:

**R**eges terræ, & omnes popu-  
li: \* principes, & omnes iudices  
terræ.

**I**uuenes, & virgines: senes cum  
iunioribus laudent nomen Dómi-  
ni: \* quia exaltatum est nomen  
eius solius.

**C**onfessio eius super cælum &  
terram: \* & exaltauit cornu popu-  
li sui.

**H**ymnus omnibus sanctis eius:  
filiis Israël, populo appropinquan-  
ti sibi.

ORA-



**D**EVS, cuius maiestâtem laudant cælestia, terrèstria, animâta & inanimâta, cuius nomen diuînum venerântur, adórant omnes creatúræ, cuiúsque deseruiunt império: præsta quæsumus hîc hymnum tibi dícere laudis, & gratiârum actiônis, vt tandem digna modulatiône cum Sanctis ómnibus tibi canâmus in cælis. Amen.

## PSALMVS CXLIX.

*Quo psallentes DEVM laudant, quòd per Christum sint glorificandi, vicerintque diabolum & impios, eorumque futuri sint iudices, & vindices in die iudicij.*

**C**Antâte Dómino canticum nouum: \* laus eius in Ecclesiâ sanctórum.

Lætetur Israël in eo, qui fecit

G g 2 eum:\*

eum: \* & filij Sion exultent in rege suo.

**L**audent nomen eius in choro: \* in tympano & psalterio psallat ei:

**Q**uia beneplacitum est Domino in populo suo: \* & exaltabit mansuetos in salutem.

**E**xultabunt sancti in gloria: \* lætabuntur in cubilibus suis.

**E**xaltationes DEI in gutture eorum: \* & gladij ancipites in manibus eorum:

**A**d faciendam vindictam in nationibus: \* increpationes in populis.

**A**d alligandos reges eorum in compedibus: \* & nobiles eorum in manibus ferreis.

**V**t faciant in eis iudicium conscriptum: \* gloria hæc est omnibus sanctis eius.

**ORA-**



## ORATIO.

**A** Vctor totius bonitatis DEVS,  
 qui omnem mansuetudinem  
 te humiliter confitentem exaltas,  
 præstare digneris, vt in hoc sæculo  
 factores legis effecti, in tribulatio-  
 nibus vitæ præsentis probati & fi-  
 deles inuenti, spiritalibus bonis  
 ditati, mereamur gloriæ Sancto-  
 rum adiungi. Per CHRISTVM  
 Dñm nostrum. Amen.

## PSALMVS CL

*Quo psallens prouocatur, vt cum  
 Dauide toto corde, ore, & opere  
 DEVM laudet.*

**L** Audate Dñm in sanctis  
 eius: \* laudate eum in firma-  
 mento virtutis eius.

**L** audate eum in virtutibus eius: \*  
 laudate eum secundum multitudi-  
 nem magnitudinis eius.

G g 3

**L** au-

**L**audâte eum in sono tubæ: \* laudâte eum in psaltério, & cíthara.

**L**audâte eum in tympano, & choro: \* laudâte eum in chordis, & órgano.

**L**audâte eum in cymbalis benesonántibus: laudâte eum in cymbalis iubilatiônis: \* omnis spíritus laudet Dóminum.

### ORATIO.

**H**Armóniæ nostræ suauíssimum melos, qui nostri pectoris modulámina, nunc flétibus, nunc gemítibus iubes exercéri: præsta, quæsumus Dómine, vt dum illa spiritali effectû concínimus, cælestibus choris inséti, te cum Sanctis ómnibus collaudêmus. Per **CHRISTVM** Dóminum nostrum, qui tecum viuit & regnat **DEVS** in sæcula sæculórum. Amen.

**CAN-**



# CANTICVM MOYSI.

## EXOD. XV.

*Hoc Canticum psallens exultare potest,  
& canere DEO triumphum, quòd  
in Baptismo & Christi sanguine  
sua peccata, vitia, tentationes, ac  
demonis potestatem merferit (&  
prostrauerit, oretque ut pergat se  
rectà in cælum ducere.*



ANTEMVS Dómi-  
no, gloriósè enim ma-  
gnificátus est, \* equum  
& ascensórem deiêcit  
in mare.

**F**ortitúdo mea & laus mea Dñs,\*  
& factus est mihi in salûtem.

**I**ste DEVS meus, & glorificâ-  
bo eum: \* DEVS patris mei, &  
exaltâbo eum.

G g 4

**D**ó-

**D**óminus quasi vir pugnâtor,  
omnípotens nomen eius. \* Currus  
Pharaônis & exercitum eius proiê-  
cit in mare:

**E**lécti príncipes eius submérſi  
sunt in Mari rubro. \* Abyſſi ope-  
ruérunt eos, descendérunt in pro-  
fúndum quasi lapis.

**D**éxtera tua Dómine magnifi-  
câta est in fortitúdine: dextera tua,  
Dómine, percúſſit inimícum. \* Et  
in multitudíne glóriæ tuæ depo-  
ſuíſti aduerſários tuos:

**M**isíſti iram tuam, quæ deuorâ-  
uit eos ſicut ſtípulam. \* Et in ſpíritu  
furôris tui congregatæ ſunt aquæ:

**S**tetit vnda fluens, \* congregatæ  
ſunt abyſſi in médio mari.

**D**ixit inimícus: Pérſequar &  
comprehendam, \* díuidam ſpólia,  
implébitur ánima mea:

**E**ua-



CANTICVM MOYSI. 473

**E**uaginâbo gládium meum, \* interficiet eos manus mea.

**F**lauit spíritus tuus, & opéruit eos mare: \* submérsi sunt quasi plumbum in aquis veheméntibus.

**Q**uis símilis tui in fórtibus Dómine? \* quis símilis tui, magníficus in sanctitâte, terríbilis atque laudábilis, fáciens mirabília?

**E**xtendísti manum tuam, & deuorâuit eos terra: \* dux fuísti in misericórdia tua pópulo quem redemísti:

**E**t portásti eum in fortitúdine tua, \* ad habitáculum sanctum tuum.

**A**scendérunt pópuli, & irátí sunt: \* dolóres obtinuérunt habitatóres Philístiim.

**T**unc conturbátí sunt príncipes Edom, robústos Moab obtí-

G g 5                      nuit

nuit tremor: \* obriguérunt omnes  
habitatóres Chánaan.

**I**rruat super eos formîdo &  
pauor, \* in magnitúdine bráchij  
tui:

**F**iant immóbiles quasi lapis,  
donec pertránseat pópulus tuus  
Dómine, \* donec pertránseat pó-  
pulus tuus iste, quem possedísti.

**I**ntrodúces eos, & plantâbis in  
monte hereditâtis tuæ, \* firmíssimo  
habitáculo tuo quod operâtus es  
Dómine:

**S**anctuárium tuum Dómine,  
quod firmauérunt manus tuæ: \*  
Dóminus regnâbit in ætérnum &  
ultrâ.

**I**ngréssus est enim eques Phá-  
rao cum cúrribus & equítibus eius  
in mare: \* & redúxit super eos Dó-  
minus aquas maris:

**F**ílij



CANTICVM MOYSI. 475

Filij autem Israël ambulauerunt  
per siccum \* in medio eius.

CANTICVM MOYSI.

Deut. 32.

*Quo petitur constantia in vera DEI  
fide, religione, timore, cultu, san-  
ctaque ac Christiana vita.*

**A** Udite cæli quæ loquor, \*  
audiat terra verba oris mei.

**C**oncréscat vt plúuia doctrîna  
mea, \* fluat vt ros elóquium meum.

**Q**uasi imber super herbam, &  
quasi stillæ super grámina. \* Quia  
nomen Dómini inuocâbo:

**D**ate magnificéntiam DEO no-  
stro: \* DEI perfectæ sunt ópera, &  
omnes viæ eius iudícia:

**D**EVS fidêlis, & absque vlla  
iniquitatê, iustus & rectus. \* Pec-  
cauerunt ei, & non filij eius in  
sórdibus:

**G**ene-

476 CANTICVM MOYSI.

**G**eneratio praua atque peruér-  
sa. \* Hæccine reddis Dómino, pó-  
pule stulte & insípiens?

**N**umquid non ipse est pater  
tuus, \* qui possêdit te, & fecit, &  
creâuit te?

**M**emento diêrum antiquôrum,  
cógita generatiónes síngulas:

**I**ntérroga patrem tuum, & an-  
nuntiâbit tibi: \* maióres tuos, &  
dicent tibi.

**Q**uando diuidêbat Altíssimus  
Gentes: \* quando separâbat filios  
Adam.

**C**onstituit téminos populô-  
rum \* iuxta númerum filiôrum  
Israël.

**P**ars autem Dómini, pópulus  
eius: \* Iacob funículus hereditâtis  
eius.

**I**nuênit eum in terra desérta, \* in  
loco



**CANTICVM MOYSI. 477**

loco horrôris, & vastæ solitûdinis:

**C**ircumdûxit eum, & dócuit: \*  
& custodiuit quasi pupíllam ócu-  
li sui.

**S**icut áquila prouocans ad vo-  
lándum pullos suos, \* & super eos  
vólitans,

**E**xpándit alas suas, & assúm-  
psit eum, \* atque portâuit in hú-  
meris suis.

**D**óminus solus dux eius fuit: \*  
& non erat cum eo deus aliênus.

**C**onstituit eum super excélsam  
terram: \* vt coméderet fructus a-  
grôrum,

**V**t súgeret mel de petra, \* oleúm-  
que de saxo duríssimo.

**B**utyrum de arménto, & lac de  
óuibz \* cum ádipe agnôrum, &  
arietum filiôrum Basan;

**E**t hircos cum medúlla trítici, \*  
&

478 CANTICVM MOYSI.

& sanguinem vix biberet meracissimum.

**I**ncrassatus est dilectus, & recalcitravit: \* incrassatus, impinguatus, dilatatus.

**D**ereliquit **D E V M** factorem suum, \* & recessit à **D E O** salutari suo.

**P**rouocauerunt eum in diis alienis, \* & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.

**I**mmolauerunt dæmoniis & non **D E O**, \* diis quos ignorabant:

**N**oui recentésque venerunt, \* quos non coluerunt patres eorum.

**D E V M**, qui te genuit, dereliquisti, \* & oblitus es **Dómini** creatôris tui.

**V**idit **Dóminus**, & ad iracundiam concitatus est: \* quia prouocauerunt eum filij sui & filix.

**E**t



CANTICVM MOYSI. 479

**E**t ait: Abscôndam faciẽ meam  
ab eis, \* & considerâbo nouíssima  
eôrum:

**G**eneratio enim peruerſa eſt, \* &  
infidéles filij.

**I**psi me prouocauerunt in eo  
qui non erat deus, \* & irritauerunt  
in vanitatibus suis:

**E**t ego prouocâbo eos in eo qui  
non eſt pópulus, \* & in gente ſtul-  
ta irritâbo illos.

**I**gnis succénſus eſt in furôre  
meo, \* & ardêbit vſque ad inférni  
nouíſſima:

**D**euorabítque terram cum gér-  
mine ſuo: \* & móntium funda-  
ménta combûret.

**C**ongregâbo ſuper eos mala, \*  
& ſagittas meas complêbo in eis.

**C**onſumentur fame, \* & deuorâ-  
bunt eos aues morſu amaríſſimo:

**D**en-

LIBROS  
DEL AR.  
L. MARCO

480 CANTICVM MOYSI.

**D**entes bestiârum immittam in eos,\* cum furôre trahéntium super terram,atque serpéntium.

**F**oris vastâbit eos gladius,& intus pavor,\* iúuenem simul ac virginem, lacténtem cum hómine fene.

**D**ixi: Vbi nam sunt?\* celsâre faciam ex homínibus memóriam eórum.

**S**ed propter iram inimicórum distúli:\* ne fortè superbírent hostes eórum.

**E**t dícerent: Manus nostra excélsa,& non Dóminus,\* fecit hæc ómnia.

**G**ens absque consílio est,& sine prudéntia.\* Vtinam sáperent,& intelligerent, ac nouíssima prouiderent.

**Q**uómodo persequâtur vnus mil-



**CANTICVM MOYSI.** 481

mille, \* & duo fugent decem míllia?

**N**ónne ídeò, quia **D**EVS suus  
véndidit eos, \* & **D**óminus conclû-  
sit illos?

**N**on enim est **D**EVS noster vt  
dij eòrum: \* & inimíci nostri sunt  
iúdicēs.

**D**e vínea Sodomòrum, vínea  
eòrum, \* & de suburbánis Gomór-  
rhæ:

**V**ua eòrum vua fellis, \* & botri  
amaríssimi.

**F**el draconum vinum eòrum, \*  
& venenum áspidum insanábile.

**N**ónne hæc cóndita sunt apud  
me, \* & signâta in thesáuris meis?

**M**ea est ultio, & ego retrí-  
buam in tēpore, \* vt labâtur pes  
eòrum:

**I**uxtà est dies perditionis, \* &  
adéssē festinant tēpora.

H h

**I**udi-

**I**udicabit Dóminus pópulum suum, \* & in seruis suis miserébitur:

**V**idébit quòd infirmâta sit manus, \* & clausi quoque defecerunt, residuúque consumpti sunt.

**E**t dicet: Vbi sunt dij eórum, \* in quibus habébant fidúciam?

**D**e quorum víctimis comedébant ádipes, \* & bibébant vinum libáminum:

**S**urgant, & opituléntur vobis, \* & in necessitaté vos prótegant.

**V**idète quòd ego sim solus, \* & non sit álius D E V S præter me:

**E**go occídám, & ego víuere fáciám: percútiam, & ego sanábo, \* & non est qui de manu mea possit erúere.

**L**euábo ad cælum manú meam, &



**CANTICVM MOYSI.** 483

& dicam: \* Viuo ego in ætérnum.

**S**i acúero vt fulgur gládium meum, \* & arripúerit iudícium manus mea:

**R**eddam vltiônem hóstibus meis: \* & his qui odérunt me, re-  
tríbuam.

**I**nebriâbo sagíttas meas sánqui-  
ne, \* & gládus meus deuorâbit  
carnes,

**D**e cruóre occisórum, \* & de  
captiuitâte, nudáti inimicórum  
cápitis.

**L**audâte Gentes pópulum eius,\*  
quia sánguinem seruórum suórum  
vlciscêtur.

**E**t vindíctam retríbuet in ho-  
stes eórum, \* & propítius erit ter-  
ræ pópuli sui.

## CANTICVM ANNÆ.

1. Reg. 2.

*Quo psallens, morbo, morte, infamia,  
hostibus, peccato, tentatione libera-  
tus, & exaltatus, non sibi, sed  
DEO id tribuere cupit, & exul-  
tans gratias agit; optatque iis dein-  
ceps liberari.*

**E**Xultauit cor meum in Dó-  
mino,\* & exaltatum est cor-  
nu meum in DEO meo.

**D**ilatatum est os meum super  
inimicos meos: \* quia lætata sum  
in salutari tuo.

**N**on est sanctus, vt est Dómi-  
nus: neque enim est álius extra  
te,\* & non est fortis sicut DEVS  
noster.

**N**olite multiplicare loqui sublí-  
mia,\* gloriántes:

**R**ecédant vétera de ore vestro:  
quia



**CANTICVM ANNÆ. 485**

quia **D**EVS scientiârum Dóminus est, \* & ipsi præparântur cogitationes.

**A**rcus fórtium superâtus est, \* & infirmi accíncti sunt róbores.

**R**epléti prius, pro pánibus se locauérunt: \* & famélici saturáti sunt,

**D**onec stérilis péperit plúrimos: \* & quæ multos habêbat fílios, infirmâta est.

**D**óminus mortíficat & viuíficat, \* dedûcit ad ínferos, & redûcit.

**D**óminus páuperem facit & ditat, \* humiliat & súbleuat.

**S**úscitat de púluere egênum, \* & de stercôre éleuat páuperem:

**V**t sédeat cum princípibus, \* & sólum glóriæ téneat.

**D**ómini enim sunt cárdines

Hh 3 ter-

486 CANTICVM ANNÆ.

terræ, \* & pòsuit super eos orbem.

Pedes sanctòrum suòrum seruabit, & impij in ténébris conticescent: \* quia non in fortitúdine sua robórabitur vir.

Dóminum formidábunt aduersárij eius: \* & super ipsos in cælis tonábit:

Dóminus iudicábit fines terræ, & dabit impérium regi suo, \* & sublimábit cornu Christi sui.

CANTICVM ISAIAE

PROPHETÆ. Cap. 12.

*Quo psallens in amorem IESV se totum effundit, oratque: Amor meus IESVS meus, & omnia.*

CONFITÊBOR tibi Dómine, quóniam irátus es mihi: \* conuérsum est furor tuus, & consolátus es me.

Eccc



**CANTICVM ISAIAE. 487**

**E**cce DEVS saluâtor meus, \* fidu-  
cialiter agam, & non timêbo:

**Q**uia fortitûdo mea, & laus  
mea Dóminus, \* & factus est mihi  
in salûtem.

**H**auriêtis aquas in gáudio de  
fóntibus saluatôris: \* & dicêtis in  
illa die, Confitémini Dómino, &  
inuocâte nomen eius:

**N**otas fácite in pópulis adin-  
uentiones eius: \* mementôte quón-  
iam excélsus est nomen eius.

**C**antâte Dómino, quóniam  
magníficè fecit: \* annuntiâte hoc  
in vniuersa terra.

**E**xúlta, & lauda habitatio Sion: \*  
quia magnus in médio tui sanctus  
Israël.

## CANTICVM EZECHIAE.

Isaiaë 38.

*In quo gratias agit psallens DEO,  
quòd à peccato, quod morbus et  
mors est animæ, ac inferno sit  
liberatus, postulatque deinceps  
liberari.*

**E**Go dixi: In dimidio dièrum  
meòrum \* vadam ad portas  
inferi.

**Q**uæsiui resíduum annòrum  
meòrum. \* dixi: Non vidèbo Dó-  
minum DEVM in terra viuén-  
tium.

**N**on aspiciam hóminem vltra,\*  
& habitatòrem quiëtis.

**G**enerátio mea ablâta est, &  
conuolûta est à me, \* quasi taber-  
nâculum pastòrum:

**P**ræcîsa est velut à texénte, vita  
mea: dùm adhuc ordîrer, succîdit  
me: \*



me: \* de manè vsque ad vésperam  
fínies me.

**S**perâbam vsque ad manè, \* quasi  
leo sic contriuit ómnia ossa mea:

**D**e manè vsque ad vésperam fí-  
nies me: \* sicut pullus hirúndinis sic  
clamâbo, meditâbor vt colúmba:

**A**tenuâti sunt óculi mei, \* suspi-  
ciéntes in excélsu:

**D**ómine vim pátiór, respónde  
pro me. \* Quid dicam, aut quid re-  
spondêbit mihi, cùm ipse fécêrit?

**R**ecogitâbo tibi omnes annos  
meos \* in amaritúdine ánimæ meæ.

**D**ómine si sic víuitur, & in tali-  
bus vita spíritus mei, corrípies me,  
& viuificâbis me. \* Ecce in pace  
amaritúdo mea amaríssima:

**T**u autem eruísti ánimã meam  
vt non perîret, \* proiecísti post ter-  
gum tuum ómnia peccâta mea.

H h 5

**Q**uia

**Q**uia non inférnus confitébitur  
tibi, neque mors laudâbit te: \* non  
expectâbunt qui descêdunt in  
lacum, veritâtem tuam.

**V**iuens viuens ipse confitébitur  
tibi, sicut & ego hódie: \* pater filiis  
notam fáciet veritâtem tuam.

**D**ómine saluum me fac, \* &  
psalmos nostros cantâbimus cun-  
ctis diêbus vitæ nostræ in domo  
Dómini.

## CANTICVM TRIVM

## PVERORVM. Dan. 3.

*Quo psallens cor suum effundit in  
DEI laudem, petitque vt omnium  
creaturarum quasi voce & linguis  
DEVM creatorem & saluatorem  
suum laudet & benedicat.*

**B**enedícite ómnia ópera Dó-  
mini Dómino: \* laudâte &  
superexaltâte eum in sæcula.

**B**ene-



TRIVM PVERORVM. 491

**B**enedícite Angeli Dómini Dómino: \* benedícite cæli Dómino.

**B**enedícite aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino: \* benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

**B**enedícite sol & luna Dómino: \* benedícite stellæ cæli Dómino.

**B**enedícite omnis imber & ros Dómino: \* benedícite omnes spíritus DEI Dómino.

**B**enedícite ignis & æstus Dómino: \* benedícite frigus & æstus Dómino.

**B**enedícite rores & pruîna Dómino: \* benedícite gelu & frigus Dómino.

**B**enedícite glácies & niues Dómino: \* benedícite noctes & dies Dómino.

**B**enc-

**B**enedícite lux & ténebræ Dómino: \* benedícite fúlgora & nubes Dómino.

**B**enedícat terra Dóminum: \* laudet & superexáltet eum in sæcula.

**B**enedícite montes & colles Dómino: \* benedícite vniuersa germinántia in terra Dómino.

**B**enedícite fontes Dómino: \* benedícite mária & flúmina Dómino.

**B**enedícite cete, & ómnia quæ mouéntur in aquis, Dómino: \* benedícite omnes vólucres cæli Dómino.

**B**enedícite omnes béstia & pécora Dómino: \* benedícite filij hóminum Dómino.

**B**enedícat Israël Dóminũ: \* laudet & superexáltet eum in sæcula.

**B**ene-



**B**enedícite sacerdótes Dómini  
Dómino: \* benedícite serui Dó-  
mini Dómino.

**B**enedícite spíritus & ánimæ iu-  
stôrum Dómino: \* benedícite san-  
cti & húmiles corde Dómino.

**B**enedícite Ananía, Azaría, Mí-  
saél Dómino: \* laudâte & superex-  
altâte eum in sæcula.

**B**enedicâmus Patrem, & Fí-  
lium, eum sancto Spíritu: \* laudê-  
mus & superexaltêmus eum in  
sæcula.

**B**enedíctus es Dómine in fir-  
maménto cæli: \* & laudábilis, &  
gloriôsus, & superexaltâtus in  
sæcula.

**Hîc non dicitur, G**loria Patri.  
neque Amen. in aliis Canticis di-  
cuntur.

**CAN-**

## CANTICVM HABACVC.

## Cap. 3.

*Quo allegoricè psallens meditari poterit, & canere ortum, gesta miracula, victorias ac iudicium CHRISTI: item gaudere & exultare in DEO IESV suo: quo duce ardua omnia vitia tentationesque vincet & debellabit.*

**D**omine audiui auditionem tuam, \* & tímui.

**D**omine opus tuum, \* in médio annôrum viuífica illud.

**I**n médio annôrum notum fácies: \* cùm irátus fúeris, misericórdiæ recórdaberis.

**D**eus ab Austro véniet, \* & sanctus de monte Pharan:

**O**péruiit cælos glória eius: \* & laudis eius plena est terra.

**S**plen-



**S**plendor eius vt lux erit: \* cón-  
nua in mánibus eius.

**I**bi abscondita est fortitúdo  
eius: \* ante fáciem eius ibit mors.

**E**t egrediétur diábolus ante pe-  
des eius. \* Stetit, & mensus est ter-  
ram.

**A**spéxit, & dissóluit Gentes: \* &  
contríti sunt montes sæculi.

**I**ncuruáti sunt colles mundi, \*  
ab itinéribus æternitátis eius.

**P**ro iniquitáte vidi tentória Æ-  
thiópia, \* turbabúntur pelles terræ  
Mábian.

**N**umquid in flumínibus irátus  
es Dómine? \* aut in flumínibus fu-  
ror tuus? vel in mari indignátio  
tua?

**Q**ui ascédes super equos tuos:  
& quadrígæ tuæ saluátio.

**S**úscitans suscitábis arcum tuú,  
iura-

iuramēta trībubus quæ locū-  
tus es:

**F**lúuios scindes terræ: vidérunt  
te: & doluérunt montes: \* gurgēs  
aquârum tránfiit.

**D**edit abyſſus vocem ſuam: \* al-  
titúdo manus ſuas leuâuit.

**S**ol & luna ſtetérunt in habitá-  
culo ſuo, \* in luce ſagittârum tuâ-  
rum, ibunt in ſplendôre fulgurán-  
tis haſtæ tuæ.

**I**n frémitu conculcâbis terram: \*  
& in furôre obſtupeſácies Gentes.

**E**gréſſus es in ſalûtem pópu-  
li tui, \* in ſalûtem cum Chriſto  
tuo:

**P**ercuſíſti caput de domo ím-  
pij: \* denudáſti fundaméntum eius  
vſque ad collum.

**M**aledixíſti ſceptris eius, cápi-  
ti bellatôrum eius, \* veniéntibus

vt



**CANTICVM HABACVC. 497**

vt turbo ad dispergendum me.

**E**xultatio eorum, \* sicut eius  
qui deuorat pauperem in abscondito.

**V**iam fecisti in mari equis tuis,  
in luto aquarum multarum.

**A**udui, & conturbatus est venter meus: \* à voce contremuerunt labia mea.

**I**ngrediatur putredo in ossibus meis, \* & subter me scateat.

**V**t requiescam in die tribulationis: \* vt ascendam ad populum accinctum nostrum.

**F**icus enim non florebit: \* & non erit germen in vineis.

**M**entietur opus oliuæ: \* & arua non afferent cibum.

**A**bscindetur de ouili pecus: \* & non erit armentum in praeseptibus.

**Ii**

**Ego**

428 CANTICVM B. MARIE.

**E**go autem in Dómino gaudêbo: \* & exultâbo in D E O Iesu meo.

**D**EVS Dóminus fortitúdo mea: \* & ponet pedes meos quasi ceruôrum.

**E**t super excélsa mea dedûcet me victor \* in psalmis canéntem.

CANTICVM B. MARIE  
VIRGINIS. LUC. I.

*Quo psallens celebrat D E I misericordiam, quòd nobis CHRISTVM dederit, quodque per eum sibi peculiâres illustresque dotes & gratias ac virtutes contulerit, petitque eas augeri.*

**M**agnificat \* ánima mea Dóminum:

**E**t exultâuit spíritus meus \* in D E O salutâri meo.

**Q**uia respéxit humilitâtem ancíllæ



**CANTICVM · B. · MARIÆ. 499**

cillæ suæ: \* ecce enim ex hoc beâ-  
tam me dicent omnes generatiô-  
nes.

**Q**uia fecit mihi magna qui  
potens est: \* & sanctum nomen  
eius.

**E**t misericórdia eius à progénie  
in progénies \* timéntibus eum.

**F**ecit poténtiam in bráchio suo: \*  
dispérfit supérbos mente cordis  
sui.

**D**epósuit poténtes de sede, \* &  
exaltâuit húmiles.

**E** furientes implêuit bonis: \* &  
diuites dimîsit inânes.

**S**uscêpit Israël púerum suum, \*  
recordâtus misericórdiæ suæ.

**S**icut locûtus est ad patres no-  
stros, \* Abraham, & sémini eius in  
sæcula.

## CANTICVM ZACHARIÆ.

Luc. i.

*Quo psallens postulat particeps fieri  
gratiæ CHRISTI, sanctè & Chri-  
stianè viuere, CHRISTO que  
parare viam ad multarum anima-  
rum conuersionem & salutem.*

**B**enedictus Dóminus DEVS  
Israël, \* quia visitâuit, & fecit  
redemptiõnem plebis suæ:

**E**t erexit cornu salutis nobis: \*  
in domo Dauid pueri sui.

**S**icut locûtus est per os sanctõ-  
rum, \* qui à sæculo sunt, prophê-  
târum eius:

**S**alutem ex inimicis nostris, \*  
& de manu ómnium qui odérunt  
nos.

**A**d faciendam misericórdiam  
cum pátribus nostris: \* & memo-  
râri testaménti sui sancti.

Iusu-



**CANTICVM. ZACHARIÆ** 501

**I**usiurandum, quod iurâuit ad  
Abraham patrem nostrum, \* datû-  
rum se nobis:

**V**t sine timôre, de manu inimi-  
côrum nostrôrum liberâti, \* seruiâ-  
mus illi.

**I**n sanctitâtē & iustitia coram  
ipso, \* ômnibus diēbus nostris.

**E**t tu puer, Prophêta Altíssimi  
vocâberis: \* præîbis enim ante fá-  
ciem Dómini parâre vias eius:

**A**d dandam sciētiā salutis  
plebi eius: \* in remissiónem pecca-  
tôrum eôrum:

**P**er víscera misericórdiæ **DEI**  
nostri: \* in quibus visitâuit nos,  
óriens ex alto.

**I**lluminâre his, qui in ténebris  
& in vmbra mortis sedent: \* ad  
dirigēdos pedes nostros in viam  
pacis.

## CANTICVM SIMEONIS.

Luc. 2.

*Quo psallens desiderat, die vel vita  
sanctè transacta, dissolui, et esse  
cum CHRISTO.*

**N**unc dimittis seruum tuum  
Dómine, \* secúndum ver-  
bum tuum in pace:

**Q**uia vidérunt óculi mei \* salu-  
târe tuum,

**Q**uod parásti \* ante fáciem óm-  
nium populôrum;

**L**umen ad reuelatiônem Gén-  
tium, \* & glóriam plebis tuæ  
Israël.

LITA-



## LITANIAE.



**K**Yrie eléison.

**C**hriste eléison.

**K**Yrie eléison.

**C**hriste audi nos.

**C**hriste exáudi nos.

**P**ater de cælis **D E V S**, Miserêre nobis.

**F**ili redemptor mundi **D E V S**, Miserêre nobis.

**S**píritus sancte **D E V S**, Miserêre nobis.

**S**ancta Trínitas vnus **D E V S**, Miserêre nobis.

**S**ancta **M A R I A**, Ora pro nobis.

**S**ancta **D E I** génitrix, ora.

**S**ancta Virgo víginum, ora.

**S**ancte Míchaël, ora pro nobis.

**S**ancte Gábriel, ora pro nobis.

**S**ancte Ráphaël, ora pro nobis.

**Ii 4**

**O**m-

**O**mnes sancti Angeli & Archángeli,  
orâte pro nobis.

**O**mnes sancti beatôrum spirítuum órđines, orâte pro nobis.

**S**ancte Ioánnes Baptísta, ora.

**O**mnes sancti Patriárchæ & Prophétæ,  
orâte pro nobis.

**S**ancte Petre, ora pro nobis.

**S**ancte Paule, ora.

**S**ancte Andréa, ora.

**S**ancte Iacôbe, ora.

**S**ancte Ioánnes, ora.

**S**ancte Thoma, ora.

**S**ancte Iacôbe, ora.

**S**ancte Philíppe, ora.

**S**ancte Bartholómæ, ora.

**S**ancte Matthæ, ora.

**S**ancte Simon, ora.

**S**ancte Thaddæ, ora.

**S**ancte Mathía, ora.

**S**ancte Bárnaba, ora.

**S**an-



- S**ancte Luca, ora.  
**S**ancte Marce, ora.  
**O**mnes sancti Apóstoli & Euan-  
 gelístæ, orâte pro nobis.  
**O**mnes sancti Discípuli Dómini,  
 orâte pro nobis.  
**O**mnes sancti Innocétes, orâte  
 pro nobis.  
**S**ancte Stéphane, ora.  
**S**ancte Lauréti, ora.  
**S**ancte Vincéti, ora.  
**S**ancti Fabiâne & Sebastião, orâ-  
 te pro nobis.  
**S**ancti Ioánnes & Paule, orâte pro  
 nobis.  
**S**ancti Cosma & Damiâne, orâte  
 pro nobis.  
**S**ancti Geruási & Protási, orâte  
 pro nobis.  
**O**mnes sancti Mártyres, orâte.  
**S**ancte Siluéster, ora pro nobis.

<b>S</b> ancte Gregóri,	ora.
<b>S</b> ancte Ambrósi,	ora.
<b>S</b> ancte Augustíne,	ora.
<b>S</b> ancte Hierónyme,	ora.
<b>S</b> ancte Martíne,	ora.
<b>S</b> ancte Nicolâe,	ora.
<b>O</b> mnēs sancti Pontífices & Con- fessóres,	orâte pro nobis.
<b>O</b> mnēs sancti Doctóres,	orâte.
<b>S</b> ancte Antóni,	ora.
<b>S</b> ancte Benedícite,	ora.
<b>S</b> ancte Bernárde,	ora.
<b>S</b> ancte Domínice,	ora.
<b>S</b> ancte Francísce,	ora.
<b>O</b> mnēs sancti Sacerdótes & Leuí- tæ,	orâte pro nobis.
<b>O</b> mnēs sancti Mónachi & Ere- mítæ,	orâte pro nobis.
<b>S</b> ancta Mariâ Magdalêna,	ora.
<b>S</b> ancta Agatha,	ora.
<b>S</b> ancta Lúcia,	ora.
	<b>S</b> an-



- S**ancta Agnes, ora.  
**S**ancta Cæcilia, ora.  
**S**ancta Catharina, ora.  
**S**ancta Anastasia, ora.  
**O**mnes sanctæ Virgines & Ví-  
duæ, orâte pro nobis.  
**O**mnes Sancti & Sanctæ D E I,  
Intercédite pro nobis.  
**P**ropítius esto, Parce nobis  
Dómine.  
**P**ropítius esto, Exáudi nos Dñe.  
**A**b omni malo, Líbera nos Dñe.  
**A**b omni peccáto, líbera nos  
Dómine.  
**A**b ira tua, líbera nos Dómine.  
**A**b íbitánea & ímprouísa morte,  
líbera nos Dómine.  
**A**b insídiis diaboli, líbera nos  
Dómine.  
**A**b ira, & ódio, & omni mala vo-  
luntâte, líbera nos Dómine.  
**A** spi-

**A** spírítu fornicatiônis, líbera  
nos Dómine.

**A** fúlgnore & tempestâte, líbera  
nos Dómine.

**A** morte perpétua, líbera nos  
Dómine.

**P**er mystérium sanctæ Incarna-  
tiônis tuæ, líbera nos Dómine.

**P**er Aduéntum tuum, líbera  
nos Dómine.

**P**er natiuitâtem tuam, líbera  
nos Dómine.

**P**er baptísimum, & sanctum ieiú-  
nium tuum, líbera nos  
Dómine.

**P**er crucem & passiônem tuam,  
líbera nos Dómine.

**P**er mortem & sepultûram tuam,  
líbera nos Dómine.

**P**er sanctam resurrectiônem tuam,  
líbera nos Dómine.

**P**er



**P**er admirabilem ascensionem  
tuam, libera nos Dómine.

**P**er aduentum Spíritus sancti pa-  
rácliti, libera nos Dómine.

**I**n die iudícij, libera nos Dómine.

**P**eccatóres, Te rogâmus audi nos.

**V**t nobis parcas, te rogâmus  
audi nos.

**V**t nobis indúlgeas, te rogâmus  
audi nos

**V**t ad veram pœnitentiam nos  
perducere dignêris, te rogâ-  
mus audi nos.

**V**t Ecclesiâ tuam sanctam rége-  
re & conseruâre dignêris, te  
rogâmus audi nos.

**V**t domnum Apostólicum, &  
omnes Ecclesiásticos órdenes in  
sancta religiône conseruâre di-  
gnêris, te rogâmus audi nos.

**V**t inimicos sanctæ Ecclesiæ hu-  
miliâ-

miliâre dignêris, te rogâ-  
mus audi nos.

**V**t Régibus & Princípi-  
bus Christiânis pacem & veram concór-  
diam donâre dignêris, te ro-  
gâmus audi nos.

**V**t cuncto pópulo Christiâno pa-  
cem & vnitâtem largíri dignê-  
ris, te rogâmus audi nos.

**V**t nosmetípsos in tuo sancto ser-  
uítio confortâre & conseruâre  
dignêris, te rogâmus audi nos.

**V**t mentes nostras ad cæléstia de-  
fidéria érigas, te rogâmus  
audi nos.

**V**t ómnibus benefactóribus no-  
stris sempitérna bona retríbuas,  
te rogâmus audi nos.

**V**t ánimas nostras, fratrum, pro-  
pinquórum, & benefactórum  
nostrórum ab éterna damnatió-  
ne



LITANIAE.

511

ne erípias, te rogâmus audi nos.

**V**t fructus terrę dare & conseruâre dignêris, te rogâmus audi nos.

**V**t ómnibus fidélibus defúntis réquiem ætérnam donâre dignêris, te rogâmus audi nos.

**V**t nos exaudîre dignêris, te rogâmus audi nos.

**F**ili D E I, te rogâmus audi nos.

**A**gnus D E I, qui tollis peccâta mundi, Parce nobis Dómine.

**A**gnus D E I, qui tollis peccâta mundi, Exáudi nos Dómine.

**A**gnus D E I, qui tollis peccâta mundi, Miserêre nobis.

**C**hriste audi nos.

**C**hriste exáudi nos.

**K**yrie eléïson. **C**hriste eléïson.

**K**yrie eléïson. **P**ater noster.

**ÿ.** Et ne nos indúcas in tentatiô-  
nem. **R.** Sed líbera nos à malo.

**PSAL-**

## PSALMVS LXIX.

**D**EVS in adiutorium meum  
intende: \* Dómine ad adiu-  
uandum me festína.

**C**onfundántur, & reuereántur,\*  
qui quærunt ánimam meam:

**A**uertántur retrórsim, & eru-  
béscant,\* qui volunt mihi mala.

**A**uertántur statim erubescén-  
tes,\* qui dicunt mihi: Euge,  
euge.

**E**xúltent & læténtur in te om-  
nes qui quærunt te; & dicant sem-  
per, Magnificêtur Dóminus, qui  
diligunt salutâre tuum.

**E**go verò egênus & pauper  
sum: \* DEVS ádiuua me.

**A**diûtor meus, & liberâtor  
meus es tu: \* Dómine ne morêris.

**G**loria Patri, &c.

**S**icut erat, &c.

ŷ. Sal-



- Y. Saluos fac seruos tuos.  
R. D E V s meus sperantes in te.  
Y. Esto nobis Dómine turris fortitudinis.  
R. A fácie inimíci.  
Y. Nihil proficiat inimícus in nobis.  
R. Et fílius iniquitátis non appónat nocêre nobis.  
Y. Dómine, non secúndum peccáta nostra fácias nobis.  
R. Neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis.  
Y. Orêmus pro Pórtífice nostro N.  
R. Dóminus conféruct eum, & víuíficet eum, & beátum fáciat eum in terra, & non tradat eum in ánimam inimicórum eius.  
Y. Orêmus pro benefactóribus nostris.  
R. Retribútere dignâre Dómine  
K k ómni-

omnibus nobis bona faciēti-  
bus propter nomen tuum vi-  
tam æternam, Amen.

✠. Orēmus pro fidēlibus defūn-  
ctis.

✠. Réquiem æternam dona eis Dó-  
mine, & lux perpétua lúceat eis.

✠. Requiēscant in pace.

✠. Amen.

✠. Pro frātribus nostris absēti-  
bus.

✠. Saluos fac seruos tuos, D E V S  
meus, sperāntes in te.

✠. Mitte eis Dómine auxílium de  
sancto.

✠. Et de Sion tuēre eos.

✠. Dómine exáudi oratiōnem  
meam.

✠. Et clamor meus ad te véniat.

✠. Dóminus vobíscum.

✠. Et cum spírítu tuo.

ORA-



## ORATIO.

**D**E V S, cui proprium est misereri semper, & parcere: suscipe deprecationem nostram: vt nos, & omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat.

**E**Xaudi, quæsumus Dómine, supplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: vt pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

**I**neffabilem nobis, Dómine, misericórdiam tuam clementer ostende: vt simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à poenis, quas pro his meremur, erípias.

**D**E V S, qui culpa offenderis, poenitentia placâris: preces populi tui supplicantis propitius

K k 2

réspi-

réspice : & flagélla tuæ iracúndiæ,  
quæ pro peccátis nostris merêmur,  
auérte.

**O** Mnípotens sempitérne DEVS,  
miserêre fámulo tuo Pontífi-  
ci nostro **N.** & dírige eum secún-  
dum tuam cleméntiam in viam  
salútis æternæ : vt te donánte tibi  
plácita cúpiat, & tota virtûte per-  
ficiat.

**D**EV S, à quo sancta desidéria,  
recta consília, & iusta sunt  
ópera : da seruis tuis illam, quam  
mundus dare non potest, pacem;  
vt & corda nostra mandátis tuis  
dédita, & hóstiũ subláta formí-  
dine, témpora sint tua protectiô-  
ne tranquílla.

**V** Re igne sancti Spíritus renes  
nostros, & cor nostrum, Dó-  
mine: vt tibi casto córpore seruiâ-  
mus,



mus, & mundo corde placeâmus.

**F** Idélium DEVS ómnium cón-  
ditor & redemptor, animâbus  
famulôrum famularúmque tuâ-  
rum remissíonem cunctôrum trí-  
bue peccatôrum: vt indulgéntiam,  
quam semper optauérunt, piis sup-  
plicationibus consequántur.

**A** Ctiónes nostras, quæsumus  
Dómine, aspirándo præueni,  
& adiuuádo proséquere: vt cun-  
cta nostra orátio & operátio à te  
semper incípiat, & per te cœpta fi-  
niâtur.

**O** Mnípotens sempitérne DEVS,  
qui viuôrum dominâris fi-  
mul & mortuôrû, omniúmque mi-  
serêris, quos tuos fide & ópere fu-  
túros esse prænúscis: te supplices  
exorâmus, vt pro quibus effúnde-  
re preces decreuimus, quósque vel

K k 3

præ-

præsens sæculum adhuc in carne  
 rétinet, vel futûrum iam exûtos  
 corpore fuscêpit, intercedéntibus  
 ómnibus Sanctis tuis, pietâtis tuæ  
 cleméntia, ómnium delictôrum  
 suôrum véniam consequántur. Per  
 Dóminum nostrum I E S U M  
 C H R I S T V M Fílium tuum: Qui  
 tecum viuit & regnat in vnitâte  
 Spíritus sancti D E V S, per ómnia  
 sæcula sæculôrum. *R.* Amen.

*V.* Dñe exáudi oratiônem meam.

*R.* Et clamor meus ad te véniat.

*V.* Benedicâmus Dómino.

*R.* D E O grátias.

*V.* Exáudiat nos omnípotens &  
 miséricors Dóminus.

*R.* Amen.

*V.* Et fidélium ánimæ per miseri-  
 córdiam D E I requiêscant in  
 pace. *R.* Amen.

ORA-



# ORATIONES<sup>512</sup>

ET

## MEDITATIONES

DE

PASSIONE DOMINI.

Quindecim deuotæ & piissimæ  
Orationes S. BIRGITTE. Quæ  
profectò magnæ sunt deuotionis  
& efficacix, si cum debita atten-  
tione & deuotione dicantur.

Deuota ad Dominum IESVM  
salutatio.



N nómine Dñi nostri  
IESV CHRISTI om-  
ne genu flectâtur, cæ-  
léstium, terréstrium,  
& infernôrum, & omnis lingua  
confiteâtur, quia Dóminus no-  
ster IESVS CHRISTVS in glória est  
DEI Patris, cui semper sit laus,  
K k 4 honor

honor & glória, per infinîta &  
interminâta sæculôrum sæcula.  
Amen.

**T**E adôro, te laudo, te benedi-  
co, te glorífico, ac grátias tibi  
ago, Dómine IESV CHRISTE, pro  
vniuersis beneficiis tuis, mihi à te  
collátis: & máximè, quia me creá-  
sti ad imáginem tuam, ac pretiós-  
o Sanguine tuo redemísti, & ad  
seruítium tuum vocásti, & peccá-  
tis meis pepercísti. Precor étiam te,  
mi Dómine IESV CHRISTE, vt  
misereâris mihi miserrimo pecca-  
tóri, & in hora mortis meæ, quid-  
quid mali contra te, cogitádo, lo-  
quéndò, & operándò commísí, vel  
quidquid boni per negligéntias  
omísí, per ætérnam & sanctam  
charitátem tuam mihi dimíttas.  
Qui viuis & regnas in sæcula sæ-  
culôrum,



culôrum. Amen. **P**ater noster.  
**A**ue Mariâ.

## O R A T I O.

**O** Dómine IESV CHRISTE,  
 ætérna dulcêdo te amántium,  
 iúbilus excédens omne gáudium,  
 & omne defidérium; salus & amâ-  
 tor pœniténtium peccatôrum: qui  
 delicias tuas attestâtus es, esse cum  
 filiis hóminum, homo factus in fi-  
 ne témporum, meménto omnis  
 præmeditatiônis, & íntimi mœ-  
 rôris, quem ab inítio conceptiônis  
 tuæ in humana natúra sustinuísti,  
 máximè instánte salubérrimæ pas-  
 siônis tuæ témpore, in diuino cor-  
 de, ab ætérno præordináto. Me-  
 ménto tristítiæ & amaritúdinis,  
 quas in ánima tua, te ipso attestán-  
 te, habuísti, quando dixísti; Tristis  
 est ánima mea vsque ad mortem:

K k 5

&amp;

& quando in última cœna discipulis tuis corpus & sânguinem tuum tradidisti, pedes eorum lauisti, & dulciter eos consolando, imminentem passiônem tuam prædixisti. Meménto tremôris, angústiae, & dolôris, quos in toto tuo corpore delicato, ante passiônem crucis tuæ pertulisti; quando post trinam orationem, & sanguineum sudorem à discipulo próprio tradebâris; à dilécta gente capiebâris; à falsis téstibus accusabâris; à tribus Iudicibus iniústè iudicabâris; in éléctâ ciuitâte, in Pascháli témpore, in flórida corpóris tui iuuentûte, innocéter damnabâris, tradebâris, conspuebâris, veste própria exuebâris, véstibus aliénis induebâris, colaphizabâris, óculis & fácie velabâris, álapis cædebâris, ad colúmnam



nam ligabâris, flagellabâris, spinis coronabâris, arundine in câpite percutiebâris, & aliis innumerabilibus calûmniis lacerabâris. O dulcissime I E S V, da mihi (quæso) ob memóriam harum poenârûm & passiônûm antè dictârûm, de peccâtis meis, nunc, & ante mortem meam, veram contritiônem, puram confessiônem, condígnam satisfactiônem, & ómnium peccatôrum meôrum plenáriam remissionem. Amen.

**A**ue dulcissime & benignissime Dómine I E S V C H R I S T E, & miserere mihi peccatóri. Amen. **P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## O R A T I O.

**O** Dómine I E S V C H R I S T E, vera libértas Angelôrum, & paradísus deliciârûm; memento terrôris

terrôris & horrôris, quos sustinēbas, quando inimíci tui, quasi leónes ferocíssimi te circumsteterunt, & colaphizatiônibus, conspuitiônibus, vngulatiônibus, ceterisque inauditis suppliciis te molestârunt. Per ómnia contumeliôsa verba, dura vérbera, durissimâque tormenta, quibus te, Dómine IESV CHRISTE, inimíci tui afflixérunt, deprecór te, vt líberes me ab ómnibus inimícis meis, visibílibus & inuisibílibus, & dones mihi sub vmbra alârum tuârum protectiônem salútis æternæ inuenîre. Amen.

**A**ue dulcíssime & speciosíssime Dómine IESV CHRISTE, & miserêre mihi peccatóri. Amen. **P**ater noster. **A**ue Mariâ.

ORA-



## O R A T I O.

**O** Dómine IESV CHRISTE,  
mundi fabricâtor & creâtor,  
quem nulla diménsio, nullúsque  
términus metitur; qui cælum &  
terram palmo conclûdis; recordâre  
amaríssimi dolôris tui, quem susti-  
nébas, quando sanctíssimas manus  
tuas ad crucem clavis primò affi-  
xérunt, & deínde ad perforândos  
delicatíssimos pedes tuos conuené-  
runt; sed cùm non esses conueniens  
voluntáti eôrum, dolôrem super  
dolôrem vulnéribus tuis addidé-  
runt, & ita crudéliter distraxérunt,  
& extendérunt te, in longum & la-  
tum crucis, vt dissolueréntur com-  
páges membrôrum tuôrum. Dé-  
precor te, Dómine IESV CHRISTE,  
per huius sanctíssimi & amaríssimi  
in cruce dolôris tui memóriam; vt  
des

des mihi timôrem tuum pâriter & amôrem. Amen.

**A**ue dulcissime & piissime Dômine I E S V CHRISTE, & misere-re mihi peccatôri Amen. **P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## ORATIO.

**O**Dômine I E S V CHRISTE, cœlestis médice, recordâre languôris & dolôris, atque li-uôris, quos in alto crucis patîbu-lo leuâtus passus fuisti, in ômnibus membris tuis sanctissimis dila- cerâtis : ita vt nullus dolor dolôri tuo sîmilis inuenirêtur : quia à planta pedis, vsque ad vérticem cåpitis tui non fuit in te sánitas. Et tunc, dolôrum ômnium îmmemor, Patrem pro inimícis tuis piè exorâsti, dicens: Pater ignósce illis, quia nêsciunt quid faciunt.

Per



Per hanc miram charitatem & misericórdiam tuam, & ob memoriam illius tanti dolôris tui concède, vt hæc memoria amaríssimæ passiônis tuæ, sit ómnium peccatórum meórum plena remíssio. Amen.

**A**ue dulcíssime & misericordíssime Dómine IESV CHRISTE, & miserere mihi peccatóri. Amen.

**P**ater noster. **A**ue Mariâ.

**O R A T I O.**

**O** Dómine IESV CHRISTE, spéculum claritátis æternæ, memento illius mœrôris, quem habuísti, quando in spéculo sereníssimæ diuinæ maiestâtis tuæ, conspiciens prædestinatiônem tuam, & electórum tuórum per mérita passiônis tuæ saluandórum, conspexísti étiam reprobatiônem malórum,

lôrum, & multitudinem damnandôrum. Per abyſſum miſeratiônis tuæ, qua përditis & desperâtis peccatôribus tunc condoluïſti, & per illam dulciſſimam vocem, quam latrôni in cruce exhibuïſti, dicens; Hódie mecum eris in paradíſo; rogo te, pie IESV, vt fácias mecum miſericórdiam tuam in hora mortis meæ. Amen.

**A**ue dulciſſime & ſuauïſſime Dómine IESV CHRISTE, & miſerêre mihi peccatôri. Amen. **P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## ORATIO.

**O** Dómine IESV CHRISTE, Rex amâbilis, & amîcus totus deſiderâbilis, meménto mœrôris illûs, quem habuïſti, quando nudus & miſerâbilis in cruce pependiſti, & amîci ac noti tui à  
longè



longè steterunt, & nullum consolatorem inueniebas, nisi solam dilectam genitricem tuam, in agone & amaritudine tibi fidelissimè assistentem & compatièntem, quam discipulo tuo commendasti, dicens: Mulier, ecce filius tuus; & ad discipulum: Ecce mater tua. Rogo te piissime IESV, per gladium doloris, qui tunc eius animam pertransiuit; ut subuenias mihi in omnibus tribulationibus meis, corporalibus & spiritalibus: & da mihi consolationem & gaudium, & auxilium in omni tempore tribulationis & angustie mee. Amen.

**A**ue dulcissime & desiderabilissime Dómine IESV CHRISTE, & miserere mihi peccatori. Amen.

**P**ater noster. **A**ue María.

L I

ORA-

**O** Dómine IESV CHRISTE, fons inexháustæ pietâtis, qui ex íntimo dilectiônis affectu in cruce dixísti, Sítio, scílicet salútem humáni géneris: accénde, quæso, nostrum desidérium ad omne opus bonum: Et sitim carnâlis concupiscéntiæ, & æstum munda-nârum dilectiônium & delectatiô-num in nobis pénitus refrigera & extingue. Amen.

**A** ue dulcíssime & dilectíssime Dómine IESV CHRISTE, & misere-re mihi peccatóri. Amen. **P**ater noster. **A** ue Mariâ-

**O** Dómine IESV CHRISTE, dulcêdo córdium, ingénsque suáuitas méntium, per amaritúdi-nem acéti & fellis, quam pro no-bis



bis in cruce sustinuisti & degustasti, concède nobis miseris peccatoribus corpus & sanguinem tuum omni tempore, & præcipuè in hora mortis nostræ, dignè percipere, in remedium & consolationem animarum nostrarum. Amen.

**A**ue dulcissime & mansuetissime Dómine IESU CHRISTE, & miserere mihi peccatori. Amen.

**P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## O R A T I O.

**O** Dómine IESU CHRISTE, regâlis virtus, iubilúsq; mentalis, meménto angústia & doloris, quem passus es, quando propter mortis amaritudinem, & Iudæorum insultationem, cum magna voce, te à DEO Patre derelictum clamasti, dicens: Eli, Eli,

Ll 2 lam-

lamma sabaotháni? quod est interpretatum: DEVS meus, DEVS meus, vt quid dereliquisti me? Per hanc angustiam, rogo dulcissime IESV, & peto, vt in angustis mortis meae non derelinquas me Dómine DEVS meus. Amen.

**A**ue dulcissime & patientissime Dómine IESV CHRISTE, & miserere mihi peccatóri. Amen. **P**ater noster. **A**ue maría

## ORATIO.

**O** Dómine IESV CHRISTE, alpha & omêga, únio & virtus in omni médio, recordâre, quòd à summo cápitis vsque ad plantam pedis pro nobis in aquam passiônis te demersisti. Rogo te pie IESV, per latitúdinem, per longitúdinem & magnitúdinem vúlnerum tuórum, vt dóceas me in vera charitatê custodire



stodire & perficere latum mandatum tuum nimis. Amen.

**A**ue dulcissime & prudentissime Dómine IESV CHRISTE, & miserere mihi peccatóri. Amen.  
**P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## O R A T I O.

**O** Dómine IESV CHRISTE, profundissimæ pietatis & misericordiæ abyssus, rogo te per profunditatem vûlnerum tuorum, quæ pertransierunt carnem tuam, & medûllas óssium tuorum ad íntima víscerum tuorum, vt me fámulum tuum submersum in peccatis emérgas; & abscondas in foraminibus vûlnerum tuorum, à fácie iræ tuæ, donec pertránsseat furor tuus. Amen.

**A**ue dulcissime & potentissime Dómine IESV CHRISTE, & misere

rêre mihi peccatôri. Amen. **P**ater  
noster. **A**ue Mariâ.

## ORATIO.

**O** Dómine IESV CHRISTE,  
veritatís spéculum, vnitá-  
tis signáculum, & charitatís vín-  
culum, meménto innumerabí-  
lium vúlnerum tuôrum, quibus à  
summo cápitís vsque ad ima pe-  
dum vulnerátus fuísti, & ab im-  
piis carnificibus lacerátus, ac san-  
ctíssimo sánguine tuo rubricátus;  
quam magnitúdinem dolôrum, in  
tua carne virgínea pertulísti pro  
nobis ingratíssimis peccatôribus.  
Pie IESV, quid vltra fácere debuí-  
sti, quod non fecísti? Scribe, quæso,  
ómnia vúlnera tua in corde meo,  
pretiosíssimo sánguine tuo, vt in  
illis legam dolôrem & amôrem  
tuum, & eôrum memória sem-  
per



per apud secrêtum cordis mei remaneat, & dolor passiônis tuæ in me quotidie renouetur, & amor augeatur, & in gratiarum actiône usque in finem vitæ meæ iugiter perseuêrem, donec peruéniam ad te desideratum thesaurum ómnium bonôrum, & gaudiôrum. Quod mihi donâre dignêris, Dómine IESV CHRISTE, dulcíssima vita mea. Amen.

**A**ue dulcissime & amabilissime Dómine IESV CHRISTE, & miserrere mihi peccatóri. Amen. **P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## ORATIO.

**O**Dómine IESV CHRISTE, fortissime, Rex immortalis & inuictissime, meménto angústia & dolôris, quem passus es, cùm omnes vires córporis & cordis tui

L l 4

péni-



pénitus defecérunt, & inclinâto cápitate dixísti: Consummâtum est. Per hanc angústiam & dolôrem tuum miserêre mei in última consummatiône vitæ, & éxitus mei, cùm ánima mea ansiâta fúerit, & spíritus meus conturbâtus. Amen.

**A**ue dulcíssime & nobilíssime Dómine IESV CHRISTE, & miserêre mihi peccatóri. Amen. **P**ater noster. **A**ue Mariâ.

## ORATIO.

**O** Dómine IESV CHRISTE; Fili vnigénite altíssimi Patris, splendor & figûra substántiæ eius, meménto obnixæ commendatiônis, qua spíritum tuum Patri commendásti dicens: Pater, in manus tuas comméndo spíritum meum. Et lacerâto corpore, & patefactis viscéribus misericórdiæ tuæ, cùm válido



válido clamôre pro nobis redimendis expirásti : per hanc pretiosíssimam mortem tuam déprecor te Dómine IESV CHRISTE , Rex Sanctôrum , confórta me ad resistendum diabolo, mundo, carni & sánguini, vt his ómnibus, & mihi metípsi mórtuus, tibi soli viuam: & in nouíssima hora éxitus ánimæ meæ, súscepe reuerténtem ad te spíritum meum éxulem & peregrínium. Amen.

Aue dulcíssime & splendidíssime Dómine IESV CHRISTE , & miserêre mihi peccatóri. Amen.

Pater noster. Aue Mariâ.

## ORATIO.

**O** Dómine IESV CHRISTE, vitis vera & fecúnda, meménto superfluéntis & superabundántis effusiônis ságuinis tui, quem tu

Ll 5

de

de corpore tuo, sicut de botro expresso, copiosissime effudisti; quando in cruce torcular solus calcasti, & de sanctissimo latere tuo lancea militari perforato, nobis sanguinem & aquam propinasti. Per hanc amarissimam passionem tuam, & pretiosissimi sanguinis tui effusionem precor te, dulcissime Dómine I E S U C H R I S T E, ut suscipias animam meam ad te, in agone mortis meæ. Et interim dum vivo, vúlnera cor meum charitate tua, ut pœnitentiæ & amoris lácrymæ, sint mihi panes die ac nocte. Et conuerte me totaliter ad te, ut cor meum perpetuo tibi fiat habitáculum, & conuersatio mea tibi plácita sit & accepta, ac finis vitæ meæ ita laudabilis, ut post vitæ meæ términum

te



te laudâre & frui mērear, cum  
 omnibus Sanctis tuis in ætérnum.  
 Amen.

**A**ue dulcíssime & gloriosíssime  
 Dómine IESV CHRISTE, & mise-  
 rēre mihi peccatóri. Amen. **P**ater  
 noster. **A**ue Mariâ.

**Sequens ORATIO dicenda**  
 est post supradictas Orationes; quæ  
 velut quoddam sigillum est totius  
 petitionis.

**D**omine IESV CHRISTE, Fili  
 DEI viui, suscipere & exaudî-  
 re dignêris hanc oratiúnculam  
 meam, in illo tuo superexcelléti  
 charitátis amôre, in quo, vt genus  
 humânum ex voluntâte Patris sal-  
 uâres, omnia vúlnera tui sacratíssi-  
 mi cōporis sustinuísti; & miserēre  
 mihi fámulo tuo **N.** & omnibus  
 paréntibus, propínquis, benefactó-  
 ribus,

ribus, familiáribus, amícis, & inimícis meis. Miserêre Dómine IESV CHRISTE summo Pontífici nostro, quem Ecclesiæ tuæ sanctæ præesse voluisti, & ómnibus Prælátiis, Régibus, Principibus, cunctisque Christiánæ fidei cultóribus, tam viuis, quàm defúctis: da illis misericórdiam, grátiam, remissionem ómnium peccatórum, & vitam ætérnam. Amen.

I E S V S. M A R I A.

Triginta tres Petitiones, per mérita triginta trium annórum vitæ Christi.

**O** Bone IESV, Verbum Patris, conuérte me.

**O** bone IESV, Agne DEI, purífica me.

**O** bone IESV, magíster meus, doce me.

**O** bo-



PER MERITA CHRISTI. 541

- O bone IESV, princeps pacis, gu-  
bérna me.
- O bone IESV, refúgium meum,  
defénde me.
- O bone IESV, præcéptor meus, dí-  
rige me.
- O bone IESV, patiéntia mea, con-  
fórta me.
- O bone IESV, Saluâtor me<sup>9</sup>, saluame.
- O bone IESV, Dóminus meus &  
DEVS meus, pósside me.
- O bone IESV, via, véritas, & vita,  
viuífica me.
- O bone IESV, firmaméntum  
meum, érige me.
- O bone IESV, lux mundi, illú-  
mina me.
- O bone IESV, iustítia mea, iustí-  
fica me.
- O bone IESV, mediâtor meus, san-  
ctífica me.

O bo-

- bone IESV, médice animæ meæ,  
fana me.
- bone IESV, iudex meus, absól-  
ue me.
- bone IESV, sol iustitiæ, emún-  
da me.
- bone IESV, pax mea, récrea me.
- bone I E S V, Rex meus, libera  
me.
- bone IESV, fili David, súscepe  
me.
- bone I E S V, sanctificatio mea,  
áblue me.
- bone IESV, panis viuus de cælo  
descéndens, sátiame.
- bone IESV, pater meus, custó-  
di me.
- bone I E S V, gáudium meum,  
vísita me.
- bone I E S V, adiûtor meus, ád-  
iuua me.

○ bo-



PER MERITA CHRISTI. 543

O bone IESV, protector meus, protege me.

O bone IESV, amor meus, transforma me.

O bone IESV, propitiatio mea, intra vulnera tua absconde me.

O bone IESV, vita perennis, in numerum electorum tuorum recipe me.

O bone IESV, gloria mea, glorifica me.

Petitiones ad Christum, ex  
sancto Augustino.

**D**omine IESV, nouerim te, & nouerim me.

**N**ec aliquid cupiam, nisi te.

**V**t odiam me, & amem te:

**Q**uidquid agam propter te:

**H**umiliem me, exaltem te:

**N**ihil cogitem, nisi te.

**M**ortifi-

**M**ortificem me, & viuam in te:

**Q**uacúmque euéniant, accí-  
píam à te.

**P**érsequar me, sequar te:

**S**emper optem sequi te.

**F**úgiam me; confúgiam ad te:

**D**ignus sim defendi à te.

**T**ímeam mihi, tímeam te.

**S**imque de electis à te.

**D**iffidam mihi, fidam in te:

**O**bedíre velim propter te.

**I**n nullo afficiar nisi in te:

**A**spice me, vt diligam te.

**V**oca me, vt vídeam te:

**E**t in ætérnum pótiar te.



MES-



MESSIS MYRRHÆ  
ET AROMATVM

EX L. MYSTERIIS  
DOMINICÆ PASSIONIS

COLLECTA.

I. *Triginta Argentei.*



DEVS, qui iustum Filij  
tui sanguinem, à filio  
perditionis traditum,  
triginta argenteis pro  
nobis vendi permisisti: da nobis  
ita huius iniquæ venditionis me-  
moriā venerari; vt magno nos  
emptos pretio recolentes, num-  
quam, vel cum totius mundi emo-  
lumento, animæ nostræ detrimen-  
tum faciāmus. Amen.

M m

2. *Hor-*

## 2. Horror in horto.

**I**ESV, solátium afflictôrum, & pusillanímium fortitúdo, per illum tuum spontáneum in horto horrôrem, assumptámq; pro nobis tristítiam, te súpplices exorâmus; vt corpus occidéntium metu postpófito, omnem peccáti accéssum formidémus, venturúmque te iúdicem secúri videâmus. Amen.

## 3. Angelica confortatio.

**D**EVS virtútum, adiûtor fortis, & consolâtor afflictôrum; qui Vnigénito tuo spontè pro nobis agonizánti, Angelum è cælo confortántem misísti: sic ad tuum plácitum corda nostra dispône; vt in omni mortâlis vitæ defectu, vitæque præsentis angústiiis, eiúsdem passiône roborêmur. Amen.

## 4. Sudor



4. *Sudor sanguineus.*

**S**ponse sanguinum, dulcis IESV,  
qui præ ardentissimo patiendi  
desiderio, sudore sanguineo ma-  
duisti; da nobis veram cordis  
compunctiōnem, vt & grati pro  
tanto beneficio esse mereāmur, ti-  
bi que compatiētes etiam corre-  
gnemus. Amen.

5. *Gladij & fustes.*

**D**EVS qui Vnigénitum tuum  
gládiis ac fustibus impiōrum  
in horto quæri & circumcīngi  
permisisti: da nobis ita cor no-  
strum gládio verbi tui, amorisque  
sanctissimi, transfigi; vt hoc tam  
salutari vultnere fauciati, totius  
huius vitæ currículo, te diligā-  
mus, & à penetrabili illa tremen-  
di iudicij sententia simus immu-  
nes. Amen.

Mm 2

6. La-

**6. Laternæ & faces.**

**D**EVS qui in ténebris lumen facis splendescere, & sicut sole mundum, ita corda tuorum diuino luce collústras; fac, ita me splendor tuæ grátia: semper irrádiet, vt non ámbulem in ténebris, neque me ténebræ comprehendant, sed ámbulem dum dies est, vitámque inuéniam sempitérnam. Amen.

**7. Osculum Iudæ.**

**O**Innocens Agne DEI, qui proditórem infándum in ósculum proruéntem non es auersátus; sed os in quo dolus inuéntus non est, ori quod abundábat malítia plácidè applicuísti, hostémq; tuum amíci nómine compellásti: oro te per hanc tuam mansuetúdinem, vt me indígnum peccatórem, ad sinum tuæ misericórdia: recurréntem,



tem, benígnè fuscípias. Amen.

8. *Manuum iniectio.*

**O**Mnípotens sempitérne Deus,  
& pater misericordiárum, qui  
Unigénitum tuum pastórem ani-  
márum nostrárum pércuti permi-  
sísti, & in manus tradi nocéntium;  
da nobis per acérbam illam appre-  
hensíonem, ita aduersárij nostri  
vitâre blandítias, & insúltus tenta-  
tíonum superâre; vt super illum  
triumphántes, líberis tibi ménti-  
bus seruiámus. Amen.

9. *Funes & vincula.*

**D**EVS qui sémitam nostram  
& funículum nostrum inue-  
stigásti, & omnes vias nostras præ-  
uidísti; per acérba Fílij tui víncula  
deprecámur, nostrórum absóluas  
víncula peccatórum, vt eídem per  
víncula charitátis alligáti, à te

M m 3 num-

550 *MESSIS MYRRHÆ*  
numquam separêmur. Amen.

10. *Petri negatio & lacrymæ.*

**D**EVS humílium celsitúdo, &  
fortitúdo debílium, confir-  
ma, quæsumus, quod in nobis es  
operátus; vt nosmetípsos & sæcu-  
lária desidéria abnegántes, te in  
nullo negêmus; sed fidem tuam,  
quam lingua nostra lóquitur, étiam  
móribus vita fateâtur. Amen.

11. *Alapæ & colaphi.*

**M**Entis nostre, quæsumus Dñe,  
elîde supérbiã, & per Vnigé-  
niti tui colaphizáti mansuetúdinẽ,  
concêde propítius, vt omnem iniú-  
riam tolerántes, valeâmus ánimas  
nostras in paciéntia possidêre. Amé.

12. *Conspuatio.*

**I**ESV dulcíssime, qui immún-  
dis Iudæórum sputis speciosís-  
simam fáciem tuam maculári per-  
misísti;



misisti; da nobis, quæsumus, ut  
numquam in nobis vultus tui  
imaginein inquinemus; sed no-  
uo semper virtutum splendore, di-  
gnam tuo conspectu reddamus.  
Amen.

13. *Faciei velamen.*

**D**EVS qui vestis cælum nubi-  
bus, & solem tuum super iu-  
stum & impium oriri facis: da  
quæsumus, ut lumen vultus tui,  
quod super nos signatum est, num-  
quam obscurari permittas; sed per  
velum quo CHRISTI tui facies  
fuit contacta, reuelata te tandem  
facie videamus. Amen.

14. *Illusiones.*

**M**Entibus nostris, quæsumus  
Dómine, bonitatis diuinæ  
lumen infunde, ut omni procul il-  
lusione semota, sincero cunctos af-  
fectu

féctu prosequâmur ; & oppróbria  
exprobrántium perferéntes , inter  
fílios tuos computêmur. Amen.

15. *Vestis alba.*

**D**EVS, qui Vnigénitum tuum,  
in monte Thabor, glóriæ tuæ  
consórtem, in amíctu cándido, de-  
clarásti; & eúndem pósteà in alba  
veste déspici permisísti : da nobis  
quæsumus , vt hîc innocéntiæ ve-  
stem illibâtam , étiam irrísi seruê-  
mus ; & pósteà in monte sancto  
tuo , cum Angelis & Sanctis tuis,  
candidáti , instar massæ cándidæ,  
compareâmus. Amen.

16. *Barabbæ electio.*

**T**anta est infirmitâs nostræ  
miséria , clementíssime Dó-  
mine , vt inter vitam mortémque  
constitûta mens ánxia fluctuet,  
ignâra quid éligat : illúmina vul-  
tum



tum tuum super nos, quæsumus; vt omnem mortalitâtis illécebram respuéntes, certa vitæ vestígia consecémur. Amen.

17. *Christi denudatio.*

**D**EVS, cui nuda & apérta sunt ómnia, & qui cunctórum corda scrutâris & renes; te, per Vnigéniti tui ad flagélla nudatiónem exorâmus, vt véteris vitæ vestiméntis exúti, non nudi, sed virtûte vestíti ambulêmus, donec exúto tandem córpore, veste immortalitâtis ornêmur. Amen.

18. *Columna.*

**O**Mnípotens sempitérne DEVS, fragilitâtis humanæ singulâre præsidium, te supplices deprecâmur, vt qui in tot aduérsis, sine te subsistere non valêmus, Vnigéniti tui virtûte, ceu colúmna, subnîxi, &

M m 5 in

in fide inueniâmur stâbiles, & in  
morum rectitúdine maneâmus  
immóti. Amen.

19. *Flagella.*

**D**EVS, qui propter scelus pópu-  
li tui dilectum Fílium tuum  
flagéllis impiórum percussísti: mé-  
rito sanguínei roris ex eius córpo-  
re promanántis grátiam córdibus  
nostris infúnde, vt numquam per  
peccâta super dolórem vúlnerum  
eius addâmus; sed vt fílij dilectiô-  
nis in flagélla paráti, in patientia  
ánimas nostras possidére possîmus.  
Amen.

20. *Vestis purpurea.*

**D**A nobis, Dómine, iugem Fílij  
tui pro nobis passi memó-  
riam, velut vestiméntum, quo  
semper præcingimur: vt per cór-  
poris purpuráti rubôrem, & peccâ-  
ta



ET AROMATVM.

555

ta nostra charitâte tegântur, & si  
quid pro tui nóminis glória pati  
contígerit, in hoc regis nostri sym-  
bolo gloriêmur. Amen.

21. *Corona spinea.*

**R** Osa tuæ charitâtis imménsæ  
nos mirè lætíficat, omnípo-  
tens Dñe; sed iusti iudícij tui nos  
spinæ detérrent: sic itaque nos,  
quæsumus, spínea dilécti Fílij tui  
corôna commúniat, vt per médios  
tribulatiônum acúleos, ad corô-  
nam glóriæ pertingâmus. Amen.

22. *Arundo.*

**D** E V S, humanæ conditiônis  
amâtor, qui infirma mundi  
éligis, vt fórtia quæque confúndas:  
da nobis per arúndinem in CHRI-  
STI dextera collocâtam constán-  
tiam; qua nec mundi blandiéntis  
vanitâte flectâmur, neque desæ-  
uiéntis

uiéntis terróre quassêmur. Amen.

23. *Genuflexio irrisoria.*

**D**EVS, regnôrum ômnium regûmque dominâtor, animârum nostrârum, quæsumus, tuère impérium, vt nulla vmquam in nobis dominêtur iníquitas; sed post débitum diuinæ tuæ maiestâtis obsequium, promíssum fidélibus regnum obuéniat. Amen.

24. *Ecce homo.*

**O**Mnípotens sempitérne DEVS, qui in Filij tui humilitâte iacéntem mundum erexisti, méntium nostrârum quæsumus elíde supérbiam, vt neque laudántium ora in vanum attóllant, neque vituperántium voces à recto deiciant; sed in humilitâtis soliditâte fundâti, secúrius de tua misericórdia confidâmus. Amen.

25. *Lo-*



25. *Lotio manuum.*

**D**EVS, qui nos in peccátis conceptos, per regeneratiônis lauâcrum in Fílij tui sâguine miro modo mundásti, & réliquis vitæ cadúcæ máculis abluéndis, úberes in Ecclesiâ tua fontes aperuísti; da nobis ita grátia tuæ fluéntis abstérge, vt cælésti consórtio (quò nihil inquinâtum ingreditur) aggregári mereâmur. Amen.

26. *Mortis sententia.*

**F**Idélium DEVS ómnium cón-  
ditor & redemptor, qui viuô-  
rum simul & mortuôrum iudex  
créderis esse ventûrus: propítius  
esto mihi seruo tuo peccatóri, à iu-  
diciis enim tuis tímui: & da sic iu-  
stitiæ tuæ timêre rigôrem, vt tuæ  
me pacis ósculum in nouíssimo  
consolêtur. Amen.

27. *Cru-*

## 27. Crucis aptatio.

**D**EVS, qui Fílio tuo morte sua mundum redemptúro, crucis patíbulum præparári permisísti; vnde redemptione inuenta illibátum tibi spíritum rédderet: concède propítius, vt per huius mundi tolerátam malítiam, sacrificium tibi acceptábile, spíritus contribulátus reddátur. Amen.

## 28. Baiulatio crucis.

**D**OMINE IESV CHRISTE, fidélis humanæ salútis amátor; qui vniuersa mundi peccáta super húmeros tuos in cruce portásti: fac nos, per hanc tuam infinitam charitátem & patiéntiam, in tribulatióne constántes; vt tamquam veri crucis amatóres, in hoc signo vincámus. Amen.

## 29. Si-



29. *Simon Cyrenæus.*

**Q**Uandóquidem patiéntia nobis necessária est, vt reportemus repromissiônem; infirmitati nostræ, quæsumus Dómine, succurre placâtus: vt crucis mortificationem, iúgiter in nostro corpore, pro tui nóminis honóre portântes, non cum damnâtis cruciémur in flamma, sed cum amatóribus crucis coronémur in glória. Amen.

30. *Planctus mulierum.*

**D**EVS, qui tantam lácrymis doloríque prærogatíuam indidísti, vt irâtum te placent, & véniam peccatôrum obtíneant: concède propítius, vt eò dolôris omnem & luctus cópiam conuertâmus, vbi sicut máximè est opus, ita & vbérrimus eórum fructus exoptâtur; quò tandem, qui per peccatum

câtum cecídimus, per veræ poenitentiae laménta surgâmus. Amen.

31. *Veronica.*

**D**EVS, qui nos ad imáginem tuam Sacraméntis rénouas & præcéptis; da nobis ita quæsumus in vtrísque charísmata meliôra sectári, vt vultus tui lúmine, quod super nos signátum est, conseruáto, ad faciëi tuæ tandem conspéctum in cæléstibus admittâmur. Amen.

32. *Caluariæ locus.*

**A**Vxílium tuum, Dómine, supplices deprecâmur, vt qui in hac valle lacrymârum ascensíones in corde nostro dispónimus, quibus in montem sanctum tuum pertingâmus; benedictiône tua repléti, de virtûte in virtûtem ire possîmus, donec te videâmus **DEVM** deôrum in Sion. Amen.

33. *Vi-*



33. Vinum myrrhatum, felle  
mixtum.

**D**EVS, qui peccatôrum nostrô-  
rum acerbîtatem in vino felle  
mixto, fastidiuísti, primorúmque  
paréntum & filiôrum gustâtum,  
inobediéntia deprauâtum, passiô-  
nis tuæ acerbîtate reformásti : da  
nobis quæsumus, cálicem quem  
bibísti ita per pœniténtiam & pa-  
tiéntiam degustâre, vt vini tui no-  
ui dulcédine, in regno tuo satiê-  
mur. Amen.

## 34. Malleus.

**P**ROPTER multitudinem iniqui-  
tâtis nostræ, dura facta sunt  
peccâta nostra, Dómine, & ídeò  
plaga inimíci percussísti nos, &  
castigatiône crudéli : corda ígitur  
nostra, quæsumus, igne tuæ chari-  
tâtis emóllei, vt málleo tuæ virtû-

N n                      tis

tis petras conterente recusa, diuinae tuæ voluntati conformentur. Amen.

35. **Clauis.**

**D**EVS, qui semen Abrahæ apprehendisti, & in carnis nostræ substantia cruci clauis affixus fuisti; ita nos, quæsumus, glutino tibi charitatis innecte, vt amore tibi stabili seruiētes, numquam à te separari permittas. Amen.

36. **Crucifixio.**

**O**Mnipotens sempitærne DEVS, qui mundo singulære remedium in ligno crucis constituisti, eamque attractu corporis Unigeniti tui sanctificasti; da nobis sic in eadem gloriari, vt veram mortificationem iugiter in nostro corpore, pro tui nominis honore portemus. Amen.

37. **Duo**



## 37. Duo latrones.

**D**EVs Angelôrum mediâtor & hóminum, qui pro nímio erga nos pietâtis ardôre, inter duos latrônes in cruce pendere non erubuísti; réspice super hanc famíliam tuam, nosque à malignôrum sórtibus érutos, tibíque in cruce confixos, inter choros cæléstium iúbeas aggregári. Amen.

## 38. Vestimentorum diuísio.

**E**Cclésiám tuam, quæsumus Dómine, perpétua pace custódi, vt qui renátos fonte Baptísmatis, CHRISTVM induísse cognóuimus; indiuísá sit nobis & fidei únitas, & illibátus perdûret charitâtis amíctus: vt donôrum Vnigéniti tui facti partícipes, Sanctôrum quoque in cælis forte lætémur. Amen.

39. *Titulus crucis.*

**D**EVS, qui diléctum Fílium tuum, redemptôrem nostrum, in signum posuísti, cui contradicerêtur; & eúndem título triumpháli decorásti: da nobis ita Christiáno nostro nómini respondêre; vt fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateâtur. Amen.

40. *Septem blasphemix.*

**S**CUTO bonæ voluntâtis tuæ coróna nos Dómine, ac veritâtis tuæ nos scuto circúmda; vt ab ignítis malígni telis protécti, salutâris patientiæ mérito, tela linguârum nocéntium, inoffénsè ferâmus. Amē.

41. *Septem Christi verba.*

**D**EVS, qui infinitum sapiéntiæ, poténtiæ, & bonitâtis thesáurum in nouíssimis Vnigéniti tui Dómini



Dómini nostri verbis mundo pandísti: da, sic illa mente concípere, & concépta custodíre, vt nouíssimum illud audíre possímus; Veníte benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum, à constitutióne mundi. Amen.

42. *Hyssopus, Spongia, Acetum.*

**D**omine IESV, qui peccatórum nostrórum amaritúdinem, in passiōis tuæ acerbitáte gustásti, sed reátus eórum culpam non bibísti, quia peccátum non fecísti; da nobis amáræ tuæ mortis antidoto, & à peccatórum gustátu desístere, & pro commíssis libénter pati. Amen.

43. *Septem signa stupenda.*

**D**EVS vniuersi cónditor & redemptor, qui admirándis cæli terræque prodígiis, te voluntáriè

N n 3

pro

pro nobis mori testâtus es; concède propitius; vt qui nihil pro nostra fragilitâte valêmus, dexteræ tuæ roborâti poténtia, per veram mortificatiônem voluntariè tibi sacrificâre possîmus. Amen.

44. **Lancea.**

**O**Mnîpotens sempitérne DEVS, qui secrêta córdium rimâris & renes, ânimæ nostræ medúllis spículum tuum charitâtis infîge; vt sicut ex apêrto tuo latere lancea prodúxit Ecclesiâ, ita mihi vulnus amôris sit ad salûtem. Amen.

45. **Apertio lateris.**

**V**T multæ sunt Dómine misériæ cörperis, ita multæ sunt quoque misericórdiæ tui cordis: da nobis quæsumus, ita nostræ misériæ tibi ostendâmus abyssum, vt abyssum misericórdiæ tuæ nobis vicissim



ET AROMATVM. 567

vicíſſim oſténdas, & ſaluatiônis tuæ experiâmur effectum. Amen.

46. *Quinque Vulnera.*

**A** Nimârum noſtrârum amâtor & ſponſe, qui pretioſi tui ſânguinis virtutem & prætium, in Eccleſiæ tuæ Sacraméntis condidíſti; da, quotieſcúmque illis vti contígerit, veram vitiôrum mortificatiônem, vitámque virtutum vbértim ex illis referâmus. Amen.

47. *Depositió de cruce.*

**O** Sacrum conuíuium, in quo CHRISTVS ſúmitur, recólitur memória paſſiônis eius, & futúræ glóriæ nobis pignus datur! Da nobis, quæſumus Dómine, beáta María ſemper vírgine intercedente, præſídium; quò & dignè ſanctíſſimum tui Filij corpus ſuſcí-

N n 4 pere,

pere, & congruam tanta dignatione vitam traducere mereamur. Amen.

48. **Inunctio Christi.**

**D**EVS, qui tuorum corda fidelium inflammasti, ut pretiosum Unigeniti tui corpus ad sepulcrum reuerenter inungerent: da nobis indignis famulis tuis nunquam in vite nostre decursu, gratiae tuae unguento destitui, atque ante mortem, Vnctionis extremae Sacramento muniri. Amen.

49. **Christi sepultura.**

**D**EVS, cuius misericordiae non est numerus, preces nostras quaesumus clementer exaudi: ut qui viuentes, in fide coniuncti, vnus Ecclesiae gremio continemur, & mortui spe resurrectionis loco sacro recondimur; in die nouissimo



mo inter benedictos resurgâmus.  
Amen.

50. *Sepulchri custodia.*

**M**entes nostras, quæsumus  
Dómine, continúa pietâte  
custódi: vt dum nulla eis domi-  
nâtur iníquitas, nulla quoque no-  
cêre possit aduérfitas; sed grátia  
tuæ munítæ præsidio, in tuo sem-  
per amóre læténtur. Amen.

*Conclusio.*

**H**ic siste ánima mea, híc siste,  
Sánguine C H R I S T I sponsi  
tui redémpta. Ecce, iam ad statió-  
nem, emensóque Mari rubro ad  
portum, perácto Passiõnis eius de-  
cúrsu, venísti. Sede paulisper, quié-  
sce, & tecum quæ vidísti, audísti,  
& sensísti, perpénde. Dic ei ígitur;  
Quid commisísti dulcíssime IESV?  
quid in te repértum, tantis dignum

N n 5 sup-

suppliciiis? quæ tua noxa? quæ tuæ  
 damnationis causa? Ego certè tui  
 sum causa doloris. O plasmator hó-  
 minum quid dicam, cùm ipse fé-  
 cerim? O nate DEI, quò tua de-  
 scéndit humilitas? quò mea ascén-  
 dit supérbia & ingrátitúdo? Tu  
 factus es obédiens vsque ad mor-  
 tem, & ego factus sum árrrogans,  
 & ceruicòsus vsque ad nubes. Quid  
 te Dómine mansuétius? quid me  
 supérbius? Nihil tu Dómine tan-  
 ta amaritúdine, tanta indignitáte  
 dignum commisísti, & grauióra  
 scelestíssimis ómnibus supplicia  
 pertulísti. O víncula, flagélla, co-  
 róna, crux, clauí, láncea, sputa,  
 blasphémia, vérbera, & vúlnera,  
 mihi in hac hora patrocínámini; &  
 quæ salútis meæ instruménta fú-  
 istis, nunc quoque in mei patrocí-  
 nium



nium conspirâte. Ecce, Dómine,  
 ad tuæ bonitâtis me pedes abiício,  
 crucem ampléxor, terram sacro  
 tuo cruôre rigâtam lingo. Peccáui  
 in cælum & coram te: iam non  
 sum dignus vocári fílius tuus; sed  
 fac me vnum de mercenáriis tuis,  
 vt saltem in domo sim tua, & gu-  
 stem panem tuum, & vitam há-  
 beam. Da mihi hanc únicam pe-  
 titiõnem Dómine, alióqui móriar.  
 Si me exaudíeris, viuam; saluus  
 ero, & in ætérnum tecum regnâ-  
 bo; quia tu es D E V S salus mea,  
 fortitúdo mea, redemptio mea,  
 vita mea, & glória mea.



ORA-

# O R A T I O D E S. C R V C E.



**D**EVS, qui sanctam  
crucem ascendisti, &  
mundi tenebras illu-  
minasti: tu corda &  
corpora nostra, per virtutem san-  
ctæ crucis illuminare digneris.  
Qui viuis.

I V B I L V S S. B E R N A R D I  
A B B A T I S.

**I**ESV dulcis memoria,  
Dans vera cordi gaudia:  
Sed super mel & omnia,  
Eius dulcis presentia.

**N**il canitur suavius,  
Auditur nil iucundius,  
Nil cogitatur dulcius,  
Quam IESVS DEI Filius.

**I**ESV spes poenitentibus,  
Quam



Quàm pius es peténtibus,  
Quàm bonus te quæréntibus,  
Sed quid inueniéntibus?

**I**ESVS dulcêdo córdium,  
Fons viuus, lumen méntium,  
Excédens omne gáudium,  
Et omne desidérium.

**N**ec lingua valet dícere,  
Nec líttera exprímere,  
Expértus potest crédere,  
Quid sit **I**ESVM dilígere.

**I**ESVM quæram in léctulo,  
Clauso cordis cubículo;  
Priuâtim, & in público,  
Quæram amôre sédulo.

**C**um Mariâ dilúculo  
**I**ESVM quæram in túmulo,  
Clamôre cordis quérulo,  
Mente quæram, non óculo.

**T**umbam perfúndam flétibus,  
Locum replens gemítibus:

**I**ESV

I E S V prouóluar pédibus,  
Strictis hærens amplexibus.

I E S V Rex admirábilis,  
Et triumphâtor nóbilis,  
Dulcêdo ineffábilis,  
Totus desiderábilis.

M ane nobíscum Dómine,  
Et nos illústra lúmine,  
Pulsa mentis calígine,  
Mundum replens dulcédine.

Q uando cor nostrum vísitas,  
Tunc lucet ei véritas,  
Mundi viléscit vánitas,  
Et intus feruet cháritas.

A mor I E S V dulcíssimus,  
Et verè suauíssimus,  
Plus mília gratíssimus,  
Quàm dícere suffícimus.

H oc probat eius pássio,  
Hoc sánguinis effúso,  
Per quam nobis redemptio

Da-



Datur, & DEI vísio.

**I**ESV M omnes agnóscite,  
Amôrem eius póscite;  
I E S V M ardénter quærite,  
Quæréndo inardéscite.

**S**ic amántem dilígite,  
Amôris vicem réddite,  
In hunc odôrem cúrrite,  
Et vota votis réddite.

**I**ESV S auctór cleméntiæ,  
Totûs spes lætítiæ,  
Dulcôris fons & grátia,  
Veræ cordis delíciæ.

**I**ESV mi bone féntiam  
Amôris tui cópiam:  
Da mihi per præféntiam,  
Tuam vidêre glóriam.

**C**ùm dignè loqui néqueam  
De te, tamen ne síleam;  
Amor facit vt áudeam,  
Cùm de te solùm gáudeam.

**T**ua

**T**ua I E s v diléctio,  
Grata mentis reféctio,  
Replens sine fastidio,  
Dans famem desidério.

**Q**ui te gustant, esúriunt;  
Qui bibunt, adhuc sítiunt;  
Desiderâre nésciunt,  
Nisi I E s v M, quem díligunt.

**Q**uem tuus amor ébriat,  
Nouit quid I E s v s fápiat,  
Quàm felix est, quem fátiat!  
Non est vltrà quod cúpiat.

**I**E s v, decus Angélicum,  
In aure dulce cánticum,  
In ore mel miríficum,  
In corde nectar cælicum.

**D**esídero te mília,  
Mi I E s v quando vénies?  
Me lætum quando fácies?  
Me de te quando sáties?

**A**mor tuus contínuus,

Mihi



Mihi languor assiduus,  
Mihi fructus mellifluus  
Est & vitæ perpétuus.

**I** E S V, summa benignitas,  
Mira cordis iucunditas,  
Incomprehensa bonitas,  
Tua me stringat charitas.

**B** onum mihi diligere  
I E S V M, nil ultra querere,  
Mihi prorsus deficere,  
Ut illi queam vivere.

**O** I E S V mi dulcissime,  
Spes spirantis animæ;  
Te querunt piæ lacrymæ,  
Te clamor mentis intimæ.

**Q** uocumque loco fuero,  
Mecum I E S V M desidero:  
Quam lætus, cum inuenero,  
Quam felix, cum tenuero!

**T** unc amplexus, tunc oscula,  
Quæ vincunt mellis pocula:

Oo

Tunc

Tunc felix Christi cópula,  
Sed in his parua mórula.

**I**am quod quæsiui, vídeo;  
Quod concupiui, téneo;  
Amóre IESV lángueo,  
Et corde totus árdeo.

**I**ESVS cùm sic dilígitur,  
Hic amor non extínguitur;  
Non tepéscit, nec mórítur,  
Plus crescit, & accénditur.

**H**ic amor ardet iúgiter,  
Dulcéscit mirabíliter,  
Sapit delectabíliter,  
Deléctat & felíciter.

**H**ic amor missus cælitus,  
Hæret mihi medúllitus,  
Mentem incéndit pénitus,  
Hoc delectâtur spíritus.

**O** beâtum incéndium,  
Et ardens desidérium!  
O dulce refrigérium,

Amâre



Amâre DE I Fílium!

**I**ESV, flos matris vírginis,  
Amôr nostræ dulcédinis,  
Tibi laus, honor núminis,  
Regnum beatitúdinis.

**V**eni, veni Rex óptime,  
Pater imménsæ glória,  
Affúlge menti clárius,  
Iam expectátus sæpius.

**I**ESV sole ferénior,  
Et bálsamo suáuior,  
Omni dulcôre dúlcior,  
Præ cunctis amabílior.

**C**uius gustus sic áfficit,  
Cuius odor sic réficit,  
In quo mens mea déficit,  
Solus amánti súfficit.

**T**u mentis delectátio,  
Amôris consummátio:  
Tu mea gloriátio,  
**I**ESV mundi saluátio.

**M**i dilécte reuértere,  
Consois patrénæ dexterae,  
Hostem vicisti prospère,  
Iam cæli regno frúere.

**S**equar te quoquò ieris,  
Mihi tolli non póteris,  
Cùm meum cor abstúleris  
**I E S V**, laus nostri géneris.

**C**æli ciues occúrrite,  
Portas vestras attóllite:  
Triumphatóri dícite;  
Aue **I E S V** Rex ínclyte.

**R**ex virtútum, Rex glóriæ,  
Rex insígnis victóriæ:  
**I E S V** largitor véniaë,  
Honor cæléstis pátriæ.

**T**u fons misericórdiaë,  
Tu veræ lumen pátriæ,  
Pelle nubem tristítiæ,  
Dans nobis lucem glóriæ.

**T**e cæli chorus prædicat,

Et



Et tuas laudes réplícat;  
 I E S V S orbem lætífícat,  
 Et nos D E O pacífícat.

I E S V S in pace ímperat,  
 Quæ omnem sensum súperat:  
 Hanc mea mens desíderat,  
 Et ea frui próperat.

I E S V S ad Patrem rédiit,  
 Cæléste regnum súbiit:  
 Cor meum à me tránsiit,  
 Post I E S V M simul ábiit.

Quem prosequámur láudibus,  
 Votis, hymnis, & précibus:  
 Vt nos donet cæléstibus  
 Secum pérfrui sédibus. Amen.

## OCTO VERSVS

## SANCTI BERNARDINI.

I llúmina óculos meos ne vn-  
 quam obdórmíam in morte: ne  
 quando dicat inimícus meus, Præ-  
 uálui aduérsus eum.

**I**n manus tuas Dómine com-  
mendo spíritum meum: redemísti  
me Dómine DEVS veritátis.

**L**ocútus sum in lingua mea:  
Notum fac mihi Dómine finem  
meum.

**E**t númerum diérum meórum,  
quis est? vt sciam quid desit  
mihi.

**F**ac mecum signum in bonum,  
vt vídeant qui me odérunt, & con-  
fundántur: quóniam tu Dómine  
adiuuísti me, & consolátus es me.

**D**irupísti Dómine víncula mea:  
tibi sacrificábo hóstiam laudis, &  
nomen Dómini inuocábo.

**P**ériit fuga à me: & non est qui  
requírat ánimam meam.

**C**lamáui ad te Dómine: dixi,  
Tu es spes mea, pórtio mea in ter-  
ra viuéntium.

**ŷ.** Dó-



Ÿ. Dómine exáudi oratióne meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

### ORATIO.

**O**Mnípotens sempitérne DEVS,  
qui Ezechíæ regi Iuda, te lacrymabíliter deprecánti, vitæ spátium protendísti : concède mihi indigno fámulo tuo , ante diem mortis meæ, tantum vitæ spátium, vt ómnia peccáta mea váleam deplorâre, & véniam ac grátiam te miseránte mérear accípere. Per Dóminum nostrum.

### SYMBOLVM

#### SANCTI ATHANASII.

**Q**Vicumque vult saluus esse,\*  
ante ómnia opus est, vt teneat Cathólicam fidem.

Quam nisi quisque íntegram inuiolatámque seruáuerit,\* absque dúbio in ætérnum períbit.

Oo 4 Fides

**F**ides autem Cathólica hæc est,\*  
vt vnum D E V M in Trinitâte, &  
Trinitâtem in vnitâte venerêmur.

**N**eque confundentes persónas,\*  
neque substântiam separâtes.

**A**lia est enim persóna Patris,  
âlia Fílij,\* alia Spíritus sancti.

**S**ed Patris,& Fílij, & Spíritus  
sancti vna est diuínitas,\* æquâlis  
glória, coætérna maiéstas.

**Q**ualis Pater, talis Fílius,\* talis  
Spíritus sanctus.

**I**ncreâtus Pater, increâtus Fí-  
lius,\* increâtus Spíritus sanctus.

**I**mménsus Pater, imménsus Fí-  
lius,\* imménsus Spíritus sanctus.

**Æ**térnus Pater, ætérnus Fílius,\*  
ætérnus Spíritus sanctus.

**E**t tamen non tres ætérni,\* sed  
vnus ætérnus.

**S**icut non tres increáti, nec tres  
im-



**S. ATHANASII.**

585

imménsi; \* sed vnus increátus, & vnus imménsus.

**S**imíliter omnípotens Pater, omnípotens Fílius, \* omnípotens Spíritus sanctus.

**E**t tamen non tres omnipo-  
téntes; \* sed vnus omnípotens.

**I**ta DEVS Pater, DEVS Fílius, \*  
DEVS Spíritus sanctus.

**E**t tamen non tres DII; \* sed vnus est DEVS.

**I**ta Dóminus Pater, Dóminus Fílius, \* Dóminus Spíritus sanctus.

**E**t tamen non tres Dómini; \* sed vnus est Dóminus.

**Q**uia sicut singillátim vnam-  
quámque persónam DEVM ac Dó-  
minum confitéri Christiána veri-  
tâte compéllimur: \* ita tres DEOS  
aut Dóminos dícere, Cathólica re-  
ligiône prohibémur.

O o s

**P**a-

**P**ater à nullo est factus : \* nec creatus, nec genitus.

**F**ilius à Patre solo est : \* non factus, nec creatus, sed genitus.

**S**píritus sanctus à Patre & Fílio : \* non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

**V**nus ergo Pater, non tres Patres, vnus Fílius, non tres Fílij : \* vnus Spíritus sanctus, non tres Spíritus sancti.

**E**t in hac Trinitâte nihil prius aut postérius, nihil maius aut minus ; \* sed totæ tres persónæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.

**I**ta vt per ómnia, sicut iam suprà dictum est, \* & únititas in Trinitâte, & Trínitas in vnitâte veneranda sit.

**Q**ui vult ergo saluus esse, \* ita de Trinitâte sentiat.

**S**ed



**S**ed neccssarium est ad æternam salutem, \* vt incarnationem quoque Dómini nostri IESV CHRISTI fideliter credat.

**E**st ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, \* quia Dóminus noster IESVS CHRISTVS DEI Fílius, DEVS & homo est.

**D**EVS est ex substantia Patris ante sæcula génitus: \* & homo est ex substantia matris in sæculo natus.

**P**erfectus DEVS, perfectus homo: \* ex ánima rationali, & humana carne subsistens.

**Æ**quâlis Patri secundum diuinitatem: \* minor Patre secundum humanitatem.

**Q**ui licet DEVS sit, & homo: \* non duotamen, sed vnus est CHRISTVS.

**V**nus

**V**nus autem non conuersiōne diuinitātis in carnem; \* sed assumptiōne humanitātis in DEVM.

**V**nus omnino non confusiōne substantiæ; sed vnitāte personæ.

**N**am sicut ánima rationālis & caro vnus est homo: \* ita DEVS & homo vnus est Christus.

**Q**ui passus est pro salūte nostra, descendit ad ínferos, \* tértia die resurrexit à mórtuis.

**A**scendit ad cælos, sedet ad dexteram DEI Patris omnipoténtis: \* inde ventūrus est iudicāre viuos & mórtuos.

**A**d cuius aduéntum omnes hómines resúrgeré habent cum corpóribus suis, \* & redditúri sunt de factis própriis ratiōnem.

**E**t qui bona egérunt, ibunt in vitam



ORATIO S. AVGVST. 589

vitam ætérnam : \* qui verò mala,  
in ignem ætérnum.

**H**æc est fides Cathólica : \*  
quam nisi quisque fidéliter firmi-  
térque credíderit, saluus esse non  
póterit.

ORATIO

SANCTI AVGVSTINI.

**D**EVs propítius esto mihi pec-  
catóri, & custódi me, sis me-  
cum ómnibus diébus & nóctibus  
vitæ meæ; DEVs Abraham, DEVs  
Isaac, DEVs Iacob miserêre mei:  
& mitte mihi in adiutórium fan-  
ctum Michaëlem Archángelum,  
qui me deféndat & prótegat ab  
ómnibus inimícis meis. Sancte  
Míchaël Archángele, defénde me  
in prælio, vt non péream in tre-  
méndo iudício. O sancte Míchaël  
Archángele, per grátiam quam  
me-

meruisti, te deprecor, & per unigenitum Filium DEI, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, ut eripias me à periculo mortis. Sancte Gábríel, sancte Ráphaél, omnes sancti Angeli & Archángeli DEI, succúrrite mihi. Precor vos omnes Virtútes cælórum, ut detis mihi auxílium & poténtiam: ut nullus inimícus mihi nocére possit in via, nec in aqua, nec in igne: nec offéndar à subitánea morte; nec me dormiéntem aut vigilántem ópprimat aut lædat. Ecce crucem Dómini: fúgite partes aduérſæ, vicit leo de tribu Iuda, radix David, Allelúia. Saluátor mundi salua nos, qui per crucem & sánguinem tuum próprium redemísti nos: auxiliáre nobis, te deprecámur DEVS noster. Agios ò theòs, Agios íschy-



**S. AVGVSTINI.** 591

íſchyros, Agios athánatos, eléiſon imas. Sancte DEVS, Sancte fortis, Sancte immortális, miſerêre nobis. CRUX CHRISTI protége nos, CRUX CHRISTI defêde nos, CRUX CHRISTI ſalua nos. In nómine Patris, & Fílij, & Spíritus ſancti. Amen.

**O R A T I O**

**S. BERNARDINI.**

**O** Bone I E S V, ô dulcis I E S V,  
ô I E S V fili Mariæ Vírginis,  
plene miſericórdia & veritâte. O  
dulcis I E S V, miſerêre mei ſecún-  
dum magnam miſericórdiã tuam.  
O benígnè I E S V, te déprecór per  
illum ſánguinem tuum pretiôſum,  
quem pro nobis míſeris peccatóri-  
bus effúndere dignátus es in ara  
crucis, vt abiicias omnes iniquitá-  
tes

tes meas, & ne me despicias humiliter te petentem, & hoc nomen tuum sanctissimum I E S V S inuocantem. Hoc nomen I E S V S, nomen dulce est: hoc nomen IESVS, nomen salutare est. Quid enim est I E S V S, nisi Saluator? O bone I E S V, qui me creasti & redemisti tuo proprio Sanguine, ne permittas me damnari, quem ex nihilo creasti. O bone I E S V, ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O bone I E S V, recognosce quod tuum est in me, & absterge quod alienum est à me. O bone IESV, miserere mei, dum tempus est miserendi: ne perdas me in tempore tremendi iudicii tui. O bone I E S V, si merui miser peccator de vera tua iustitia peccatam æternam pro peccatis meis  
gra-



grauíffimis ; adhuc appello confí-  
sus de tua iustítia vera ad tuam mi-  
sericórdiam ineffábilem. Vtique  
miseréberis mei , vt pius Pater &  
misericors Dóminus, ô bone I E-  
s v. Quæ enim vtilitas in sângui-  
ne meo, dum descéndero in corru-  
ptiõnem ætérnam ? Non enim  
mórtui laudábunt te Dómine, ne-  
que omnes qui descéduunt in in-  
fèrnum. O misericordíffime IESV,  
miserère mei. O dulcíssime IESV,  
libera me. O piíffime I E s v, pro-  
pítius esto mihi peccatóri. O I E-  
s v, admítte me míserum pecca-  
torem in númerum electórum tuó-  
rum. O I E s v, salus in te sperán-  
tium: ô I E s v, spes in te credén-  
tium, miserère mei: ô I E s v, dul-  
cis remíssio ómnium peccatórum  
meórum. O I E s v, Fili vírginis

P p

Ma-

Maríæ, infunde in me grátiam, sapiéntiam, charitâtem, castitâtem, & humilitâtem, ac étiam in ómnibus aduersitatibus meis patientiam sanctam, vt possim te perfectè dilígere, & in te gloriári ac delectári in sæcula sæculòrum. Amen.

## ORATIO

## SANCTI ANSELMI.

**D**OMINE DEVS meus, si feci vt essem reus tuus, numquid fácere pótui, vt non essem effectus tuus? Si mihi puritatē meam adēmi, numquid misericórdiam tuam perēmi? Si commíssi vnde me damnâre posses, tu non amisísti vnde saluâre soles. Verum est Dómine, quòd consciéntia mea merêtur damnatiōnem, sed misericórdia tua súperat omnem offensiōnem.

Parce



Parce ergo mihi Dómine, quia non est impossíbile tuæ poténtiæ, nec indecens tuæ iustítiæ, nec insólitum tuæ cleméntiæ. Quid enim est IESVS nisi saluátor? Ergo IESV, qui me creásti, non périmas: qui me redemísti, non condémnes: qui me creásti tua bonitâte, non péreat opus tuum mea iniquitâte. Cognósce ergo in me quod est tuum, & abstérge quod est aliènum. Qui viuis & regnas.

## ORATIO AD PROPRIVM

## ANGELVM.

**O**bsécro te Angélice spíritus, cui ego indignus peccátor ad prouidéndum commísus sum, vt indefinèter prótegas, deféndas, mundes, múnias me ab omni incúrso diáboli, vigilántem, dormiéntem, ac vbicúmque fúero.

P p 2

Re-

Repelle à me per virtutem sanctæ  
Crucis omnem tentationem sata-  
næ; & quod mea non exigunt mé-  
rita, tuis precibus obtine apud altís-  
simum iudicem, vt nihil loci in  
me habeat. Cumque per abrupta  
vitiôrum me deuiâsse videris, per  
semitas iustitiæ ad Saluatorem  
meum reducere me fatagas. Et in  
quacumque tribulatione vel angú-  
stia me esse perspexeris, auxilium  
DEI omnipotentis tuo obtentu  
& precamine mihi adesse sentiam.  
Precor te, mi Custos, si fieri potest,  
notum mihi facias finem meum,  
diemque obitus mei. Et cum cor-  
pore exûtus fûero, non permittas  
me à maligno spîritu terreri, neque  
in fôueam desperatiônis deduci.  
Non dimittas me Angélice spîri-  
tus, donec ad visiônem ipsius Con-  
ditô-



AD PROPRIVM ANGEL. 597

ditôris mei perdúcas me: vt simul ego pro ópere, & tu pro custódia vnà cum beatíssima DE I genitríce Maríá, & ómnibus Sanctis, Dómino adiuuante lætémur.

Ÿ. Gloriôsus apparuísti in conspectu Dómini. R. Proptéreà decorem induit te DEVS.

ORATIO.

**O**Mnípotés & miséricors DEVS, qui hóminem ad imáginem tuam formásti, & ei Angelum corporis & ánimę custódem tribuísti; concêde propítius, Angelo mihi deputáto tantum honôrem impéndere, vt me tua protectiône vísitet, & deféndat ab omni incursióne diáboli, vigilántem, dormiéntem, orántem, ac in diuínis officiis tibi seruiéntem. Omnibus horis, ac moméntis, nec non in

P p 3      hora

hora decessiōnis meæ, ángelos malos à me depéllat, bonósque mihi affóciat : & ánimam meam ad te (qui verè paradísus es) felíciter perdûcat . Per Dóminum nostrum IESVM CHRISTVM Fílium tuum: Qui tecum viuit & regnat.

ORATIO AD VIRGINEM  
GLORIOSAM.

**S**ANCTA MARIA, perpétua Virgo vírginum, mater misericórdiæ, mater grátiae, spes ómnium desolatórum, consolátrix ómnium desperántium. Per illum gládium dolóris qui tuam pertransiuit ánimam, dum vnigénitus Fílius tuus Dóminus noster IESVS CHRISTVS supplícium mortis pateretur in cruce : & per illum filiálem afféctum, quo ipse matérno dolóri compássus, integérrime dilectiōnis



nis suo vicário sancto Ioánni te  
 prouidendam cōmendauit: com-  
 pátere, cóndole, cónsule quæso,  
 anxietáti, aduersitáti, infirmitáti,  
 paupertáti, sollicitúdini, & quali-  
 cūque necessitáti meæ. O mise-  
 rátrix miserôrum, dulcis consolá-  
 tio afflictôrum, mater misericor-  
 diârum, desolatôrum piíssima con-  
 solátrix, & in omni necessitâte pu-  
 pillôrum prompta adiútrix. Exáu-  
 di ergo preces meas, & réspice or-  
 bitátis meæ & misériæ lácrymas.  
 Et quia in diuérſis malis & angú-  
 stiis propter peccâta mea póſitus  
 sum, ignôro ad quem fúgiam ni-  
 ſi ad te Dóminam meam dulcíſſi-  
 mam vírginem Mariâm, genitrí-  
 cem Dómini nóſtri IESV CHRI-  
 STI, confórtem, consímilem, ac re-  
 formatrícem humanitátis nóſtræ.

P p 4      Ergo

Ergo aures tuæ pietâtis, siue consuétæ misericórdiæ tuæ, précibus meis benignè accómmoda, per víscera misericordíssimi Filij tui. Per dulcédinem, quam tunc hábuit, quando humânum genus amplexâtus est: vt deliberâret vnâ cum Patre & Spírítu sancto carnem pro nostra salûte assûmere frágitile:& Angelo annuntiânte, & Spírítu sancto obumbrânte, de te piíssima virgo Mariâ incarnâtus est: nouem ménsibus in tuo sanctíssimo útero clausus, DEVS & homo gestâtus est; ac diménfis nouem ménsibus, Spírítu sancto cooperânte, gloriôsam aulam tui virginâlis úteri egrédiens, non aspernâtus est visitâre mundum. Per angústiam, quam idem Fílius tuus Dóminus noster IESVS CHRISTVS hábuit,



hábuit, quando in monte Oliuétí  
 Patrem inuocáuit; vt, si fieri pos-  
 set, transîret ab eo calix passióis  
 suæ. Per trinam oratióem eius,  
 per tristem incéssum tuum, quo  
 secûta es eum cum lácrymis ad  
 crudêle spectáculum passióis eius  
 & mortis. Per probra, sputa, có-  
 laphos, irrisiones, falsas accusa-  
 tiones, & iudícia iniústa. Per ve-  
 stem forte & ludo acquisítam. Per  
 víncula & flagélla eius: per trinas  
 lácrymas eius, per guttas sanguínei  
 sudôris eius, per patiéntiam & ta-  
 citurnitâtem eius: per pauôrem &  
 tædium ac mœstítiam cordis eius.  
 Per verecúndiam quam hábuit,  
 quando denudâtus est in cruce, &  
 coram te, piíssima virgo Mariâ,  
 omníque pópulo pepéndit. Per re-  
 gâle caput eius arúndine conquis-  
 sâtum.

P p s

sâtum. Per spíneam corônâ eius,  
per sitim & gustum acêti cum fel-  
le mixti, per lánceam infixam sa-  
cratíssimo láteri eius. Per sângui-  
nem & aquam, quæ de sacratissi-  
mo látere eius profluxérunt, mise-  
ricordiámque & grátiam super nos  
abundánter effudérunt. Per clauos  
infixos mânibus & pédibus eius.  
Per commendatiônem eius, qua  
Patri suam pretiosíssimâ ánimam  
commendâuit. Per dulcíssimum  
spíritum eius, quem cum clamôre  
válido clamádo, Eloi, Eloi, lam-  
ma sabacthâni? & inclináto cápite,  
tandem emísit, dicens: Consum-  
mátum est. Per scissûram veli in  
templo & petræ, & per obscuratiô-  
nem solis & lunæ, per tremôrem  
terræ. Per misericórdiam eius fa-  
ctam in latrône. Per crucem & pas-  
sionem



sionem eius, per descensionem eius  
 ad inferos, per omnes animas quas  
 aduentu visitationis suæ lætificauit.  
 Per gaudium & victoriam & gló-  
 riam resurrectionis eius, per appa-  
 ritionem eius, qua per quadragin-  
 ta dies post resurrectionem tibi,  
 præelecta virgo Mariâ, & Apóstolis  
 ceterisque electis apparuit. Per  
 gloriosam ascensionem eius, qua  
 te Virgine gloriosa & ipsis cernén-  
 tibus in cælum eleuatus est. Per  
 gratiam Spíritus sancti Parácliti,  
 quam discipulorum córdibus in  
 linguis ígneis infûdit, & per eos in  
 toto orbe terrarum longè latèque  
 diffûdit. Per tremendum diem iudi-  
 cij, quo ipse ventûrus est iudi-  
 cãre viuos & mórtuos, & sæculum  
 per ignem. Per omnem compas-  
 sionem eius tecum in hoc mundo  
 parti-

participantis. Per suauitatem oculorum eius. Per ineffabile gaudium, quo assumpta es in conspectu eiusdem Filij, ubi gaudes & exultas sine fine. Lætifica cor meum, & exaudi me in hac petitione mea, pro qua te suppliciter exoro. [ *Hic pete deuotè quod vis.* ] Et sicut certus sum, quod ille nihil tibi negans, te honorat; ita sentiam facilius, plenius, celerius, & efficacius tuum sanctissimum adiuuamen, consolamen, secundum suauitatem misericordissimi cordis tui, & dulcissimi Filij tui facientis voluntatem timentium se, & dantis petitionem cordis eorum qui delectantur in se; & secundum necessitatem meam in his & in omnibus rebus, pro quibus sanctissimum supplex inuoco nomen  
tuum



tuum & adiuuâmen : vt obtineas  
 mihi apud DEVM dulcissimum Fí-  
 lium tuum in fide Cathólica spem  
 firmam, charitatémque perfectam,  
 veram cordis contritiônem, fon-  
 tem lacrymârum, sincêram con-  
 fessiônem, dignam ac iustissimam  
 satisfactiônem, diligentémque cu-  
 stódiam à peccátis, contemptum  
 mundi, dilectiônem DEI & pró-  
 ximi, flagélla dilectíssimi Filij tui  
 in córpore meo immúdíssimo, ve-  
 ram patiéntiam ad ómnia ea quæ  
 pro amóre Fílij tui sunt sustinén-  
 da, étiam mortem turpíssimam, si  
 oportúerit: executionem votórum,  
 perseuerántiam in bonis opéribus,  
 mortificatiônem própriæ voluntá-  
 tis, conuersatiônem tibi placéntem,  
 felícem óbitum: & in extrémâ ho-  
 ra vitæ meæ, pœniténtiam vehe-  
 mén-

660 **ORATIO AD B. MARIAM.**

méntem, bonámque sensus integritátem cum loquela: & animâbus paréntum meôrum, fratrum, forôrum, & ómnium benefactôrum meôrum viuôrum & mortuôrum, vitam ætérnam. Amen.

**ALIA AD EAMDEM.**

**A** Ve sanctíssima MARIA, mater DEI, Regína cæli, porta paradísi, Dómina mundi. Tu es singulâris, virgo pura. Tu concépta sine peccáto, concepísti IESVM sine mácula; tu peperísti Creatôrem & Saluatôrem mundi, in quo non dúbito. Ora pro me IESVM dilectum Fílium tuum: & libera me ab ómnibus malis.

A M E N.

LIBRERIA  
DEL DR.  
L. MARCO



# PSALMORVM

## INDEX.

Primus numerus Psalmum, secundus  
paginam indicat.

**A**d Dominum cum tribularer. *Psal.* 119.  
pag. 400.

*Ad te Domine clamabo.* 27. 79

*Ad te Domine leuavi animam.* 24. 70

*Ad te leuavi oculos meos.* 122. 405

*Afferte Domino filij Dei.* 28. 81

*Attendite popule meus.* 77. 240

*Audite hæc omnes gentes.* 48. 149

**B**eati immaculati in via. 118 377

*Beati omnes qui timent.* 127, 413

*Beati, quorum remissa sunt.* 31. 91

*Beatus qui intelligit super.* 40. 127

*Beatus vir, qui non abiit.* 1. 3

*Beatus vir qui timet Dominum.* 111. 360

*Benedicam Dominum in omni.* 33. 98

*Benedic anima mea.* 102. 319

*Benedic anima mea.* 103. 323

*Benedictus Dominus Deus.* 143. 451

*Benedixisti Domine terram.* 84. 267

*Bonum est confiteri Domino.* 91. 292

*Celi*

# I N D E X

<b>C</b> <i>Æli enarrant gloriam Dei.</i> 18.	53
<i>Cantate Domino.</i> 95.	302
<i>Cantate Domino.</i> 149.	467
<i>Cantate Domino.</i> 97.	307
<i>Confitebimur tibi.</i> 74.	231
<i>Confitebor tibi Domine.</i> 9.	22
<i>Confitebor tibi Domine.</i> 110.	358
<i>Confitebor tibi Domine.</i> 137.	434
<i>Confitemini Domino, &amp; inuocate.</i> 104.	328
<i>Confitemini Domino, quoniam.</i> 105.	335
<i>Confitemini Domino, quoniam.</i> 106.	342
<i>Confitemini Domino, quoniam.</i> 117.	372
<i>Confitemini Domino, quoniam.</i> 135.	428
<i>Conserua me Domine.</i> 15.	39
<i>Credidi, propter quod.</i> 115.	370
<i>Cum inuocarem, exaudiuit me.</i> 4.	10
<b>D</b> <i>E profundis clamaui.</i> 129.	416
<i>Deus auribus nostris.</i> 43.	135
<i>Deus deorum Dominus.</i> 49.	153
<i>Deus Deus meus, ad te de luce.</i> 62.	188
<i>Deus Deus meus, respice in me.</i> 21.	60
<i>Deus in adiutorium meum.</i> 69.	213
<i>Deus in nomine tuo saluum.</i> 53.	164
<i>Deus iudicium tuum regi da.</i> 71.	219
<i>Deus laudem meam ne tacueris.</i> 108.	351
<i>Deus misereatur nostri.</i> 66.	199
<i>Deus noster refugium &amp; virtus.</i> 45.	142
<i>Deus, quis similis erit tibi.</i> 82.	262
<i>Deus</i>	



# PSALMORVM.

Deus repulisti nos, & destruxisti. 59.	181
Deus stetit in synagoga deorum. 81.	260
Deus venerunt gentes. 78.	250
Deus vltionum Dominus. 93.	296
Dilexi, quoniam exaudiet. 114.	368
Diligam te Domine fortitudo. 17.	44
Dixi: Custodiam vias meas. 38.	119
Dixit Dominus Domino meo. 109.	356
Dixit iniustus vt delinquat. 35.	106
Dixit insipiens in corde suo. 13.	35
Dixit insipiens in corde suo. 52.	162
Domine clamaui ad te. 140.	443
Domine Deus meus in te speraui. 7.	17
Domine Deus salutis mea. 87.	274
Domine Dominus noster. 8.	20
Domine exaudi orationem. 101.	314
Domine exaudi orationem. 142.	448
Domine in virtute tua. 20.	58
Domine ne in furore tuo arguas. 6.	15
Domine ne in furore tuo arguas. 37.	115
Domine, non est exaltatum. 130.	418
Domine probasti me, &. 138.	437
Domine quid multiplicati sunt. 3.	8
Domine quis habitabit. 14.	37
Domine refugium factus es. 89.	285
Domini est terra & plenitudo. 23.	67
Dominus illuminatio mea. 26.	76
Dominus regit me. 22.	66

Qq

Domi-

# INDEX

<i>Dominus regnauit, decorem.</i> 92.	294
<i>Dominus regnauit, exultet.</i> 96.	304
<i>Dominus regnauit, irascantur.</i> 98.	309
<b>E</b> cce nunc benedicite. 133.	424
<b>E</b> cce quàm bonum. 132.	422
<i>Eripe me de inimicis meis.</i> 58.	178
<i>Eripe me Domine ab homine.</i> 139.	441
<i>Eruclauit cor meum verbum bonum.</i> 44.	139
<i>Exaltabo te Deus meus rex.</i> 144.	454
<i>Exaltabo te Domine, quoniam.</i> 29.	83
<i>Exaudiat te Dominus in die.</i> 19.	55
<i>Exaudi Deus deprecationem.</i> 60.	184
<i>Exaudi Deus orationem.</i> 54.	166
<i>Exaudi Deus orationem.</i> 63.	191
<i>Exaudi Domine iustitiam.</i> 16.	41
<i>Expectans expectaui Dominum.</i> 39.	122
<i>Exultate Deo adiutori nostro.</i> 80.	257
<i>Exultate iusti in Domino.</i> 32.	94
<i>Exurgat Deus, &amp; dissipentur.</i> 67.	200
<b>F</b> undamenta eius in montibus. 86.	273
<b>I</b> nclina Domine aurem tuam. 85.	270
<b>I</b> n conuertendo Dominus. 125.	410
<i>In Domino confido.</i> 10.	29
<i>In exiru Israel de Egypto.</i> 113.	364
<i>In te Domine speraui.</i> 30.	86
<i>In te Domine speraui.</i> 70.	215
<i>Iubilare Deo omnis terra.</i> 65.	195
	<i>Iubi-</i>



# PSALMORVM.

<i>Iubilare Deo omnis terra.</i> 99.	310
<i>Iudica Domine nocentes me.</i> 34.	101
<i>Iudica me Deus, &amp; discerne.</i> 42.	133
<i>Iudica me Domine, quoniam.</i> 25.	74
<b>L</b> <i>Etatus sum in his que</i> 121.	403
<i>Lauda anima mea Dominum.</i> 145.	458
<i>Lauda Ierusalem Dominum.</i> 147.	463
<i>Laudate Dominum de cælis.</i> 148.	465
<i>Laudate Dominum in sanctis.</i> 150.	469
<i>Laudate Dominum omnes.</i> 116.	371
<i>Laudate Dominum, quoniam.</i> 146.	460
<i>Laudate nomen Domini.</i> 134.	425
<i>Laudate pueri Dominum.</i> 112.	362
<i>Leuavi oculos meos in montes.</i> 120.	402
<b>M</b> <i>Agnus Dominus, &amp;</i> 47.	147
<i>Memento Domine Dauid.</i> 131.	419
<i>Miserere mei Deus, miserere.</i> 56.	173
<i>Miserere mei Deus, quoniam.</i> 55.	170
<i>Miserere mei Deus, secundum.</i> 50.	157
<i>Misericordiam &amp; iudicium,</i> 100.	312
<i>Misericordias Domini.</i> 88.	278
<b>N</b> <i>Isi Dominus edificauerit.</i> 126.	412
<i>Nisi quia Dominus.</i> 123.	407
<i>Noli amulari in malignantibus.</i> 36.	109
<i>Nonne Deo subiecta erit.</i> 61.	186
<i>Notus in Iudæa Deus.</i> 75.	233
<b>O</b> <i>mnnes gentes plaudite manibus.</i> 46.	145
<b>P</b> <i>aratum cor meum Deus.</i> 107.	349

# INDEX

<b>Q</b> uam bonus Israël Deus. 72.	223
<b>Q</b> uam dilecta tabernacula. 83.	265
<b>Q</b> uare fremuerunt gentes. 2.	5
<b>Q</b> uemadmodum desiderat ceruus. 41.	130
<b>Q</b> ui confidunt in Domino. 124.	408
<b>Q</b> ui habitat in adiutorio. 90.	289
<b>Q</b> ui regis Israel, intende. 79.	254
<b>Q</b> uid gloriaris in malitia. 51.	160
<b>S</b> epè expugnauerunt me. 128.	415
<b>S</b> aluum me fac Deus. 68.	207
<b>S</b> aluum me fac Domine. 111	31
<b>S</b> i verè vtique iustitiam. 57.	175
<b>S</b> uper flumina Babylonis. 136.	433
<b>T</b> e decet hymnus Deus. 64.	193
<b>V</b> enite, exultemus Domino. 94.	299
<b>V</b> erba mea auribus percipe. 5.	12
<b>V</b> oce mea ad Dominum clamaui. 76.	236
<b>V</b> oce mea ad Dominum. 141.	446
<b>V</b> squequò Domine obliuisceris. 12.	33
<b>V</b> t quid Deus repulisti in finem. 73.	227

## INDEX CANTICORVM.

<b>A</b> vdite cali quæ loquor.	475
<b>B</b> enedicite omnia opera.	490
<b>B</b> enedictus Dominus Deus Israël.	500
<b>C</b> antemus Domino, gloriosè.	471
<b>C</b> onfitebor tibi Domine, quoniam.	486

**D**omi-



## ORATIONVM.

<i>Domine audiui auditionem tuam.</i>	494
<i>Ego dixi: In dimidio dierum.</i>	488
<i>Exultauit cor meum in Domino.</i>	484
<i>Magnificat anima mea Dominum.</i>	498
<i>Nunc dimittis seruum tuum.</i>	502

## INDEX ORATIONVM.

<b>L</b> <i>Itania.</i>	503
<i>Orationes &amp; Meditationes sanctæ Birgite de Passione Domini.</i>	519
<i>Triginta tres Petitiones, per merita triginta trium annorum vite Christi.</i>	540
<i>Petitiones ad Christum ex S. Augustino.</i>	543
<i>Mensis myrrha &amp; Aromatum ex quinqua- ginta mysteriis Dominicæ passionis collecta.</i>	545
<i>O ratio de S. Cruce.</i>	572
<i>Iubilus S. Bernardi Abbatis.</i>	572
<i>O ratio versus S. Bernardini.</i>	581
<i>Symbolum S. Athanasij.</i>	583
<i>O ratio S. Augustini.</i>	589
<i>O ratio S. Bernardini.</i>	591
<i>O ratio S. Anselmi.</i>	594
<i>O ratio ad proprium Angelum.</i>	595
<i>O ratio ad Virginem gloriosam.</i>	598

F I N I S.

## A P P R O B A T I O .

**P**SALTERIUM hoc mandato SERENISSI-  
MORVM Belgicæ PRINCIPVM in lucem  
emittendum, cùm præter nudum PSALMO-  
RVM contextum, breuissimis insuper argu-  
mentis, quibus quid quolibet Psalmo Chri-  
stianum hominem deprecari ac meditari  
oporteat insinuetur, & deuotis insuper Ora-  
tionibus ex piissimarum precum & SS. Pa-  
trum thesauro depromptis adornetur, per-  
utile censeo, quod ad Christianæ pietatis  
augmentum diuulgetur. Vtpote cuius me-  
ditata lectione mens nostra euanidas mundi  
huius delicias, à Dei cultu quasi Sirenum  
voce auocantes, facillè superabit: & in hoc  
etiam ergastulo experietur præsentissimas  
veri illius, ad quem tendimus, paradisi deli-  
cias: crescerq̃ue in ea studium ardentius Le-  
gis diuinæ, quæ his PSALMIS velut quo-  
dam promptuario continetur. Actum in  
Seminario Episcopali Antwerp. 14. Id. Octo-  
bris, M. D C. X.

*Laurentius Beyerlinck, S. Theol.  
Licent. Canonicus & Censor  
Antuerpiensis.*

LIBROS  
DEL DR.  
L MARCO





LIBROS  
DEL D.  
L. MARCO



Ayuntamiento de Madrid





124

BIBLIOTECA HISTORICA MUNICIPAL



1200027224

12000 27224

Ayuntamiento de Madrid

Ayuntamiento de Madrid



12000 27224

